INSTITUTIONES
JURIS CANONICI
AD CLARISSIMORUM VIRORUM SCRIPTA

DILIGENTER EXACTAE

ET IN HAC ALTERA EDITIONE

NOTIS AUCTAE

AB JOSEPHO CANTINI

IN PISANA ACADEMIA

ANTECESSORE

TOMUS PRIMUS

PISIS

APUD NICOLAUM CAPURRO

MDCCCXVI.

SUPERIORUM PERMISSU

PRAEFATIO

Quamvis jamdiu ea mihi mens esset, ut Institutiones Canonicas, quas a plurimis annis vobis tradere studui, lectissimi Iuvenes, magis utilitati vestræ accommodatas iterum edendas curarem, nil tamen mirum, si publicarum rerum difficultate detentus, ad exitum perducere id minime potuissem, cum diuturno temporis spatio interiecto, nuper in hac celeberrima Academia, Deo favente, ac Optimo Principe imperante, sim ad vos docendos reversus. Sed statim ac aliquantulum otii mihi datum est, ad eas ipsas Institutiones augendas animum contuli, idque ea etiam potissimum de causa effeci, ut Academiae nostrae legibus, duobus abhinc annis sapientissime constitutis, quam maxime convenirent. Quas igitur Iuris Canonici Institutiones, Antonii Bottieri Collegæ, viri ingenio, et doctrina præstantissimi, coniuncto labore, a notissimis aliorum scriptis magna ex parte depromptas, typis mandare, et publice docere minime dubitavi, eas nunc a me plurimis adnotationibus locupletatas vobis

offero, Iuvenes. Dedecet enim nimis sacrorum Canonum cultores Ecclesiasticae disciplinae varietatis causas ignorare, temporum et locorum consuetudines, leges, ritus, Romanorum Pontificum sanctissimas constitutiones, Conciliorumque Canones minime perspectos habere. Nil equidem doctissimorum hominum sublimiora flagitantium exspectatione dignum reperietis; sed ea tantum, quibus ad intima sacrae Iurisprudentiæ penetralia tutissime vobis aditus pateat, quæque non exiguo labore, et animi mei molestia, ex ingenti Canonum, Scriptorumque congerie mihi colligere visum est. Quod si conatus meos æqui bonique facientes, me studio, diligentia, et benignitate vestra eritis prosequuti, sublimi feriam, *ut Horatii verbis utar,* sydera vertice. *Valete.*

INDEX CAPITUM

QUAE HABENTUR IN PROLEGOMENIS

INDEX TITULORUM LIBRI I.

INDEX TITULORUM LIBRI II.

PROLEGOMENA

CAPUT I.

DE ECCLESIA.

Ecclesiastici juris elementa tradituri, ordinis ratio postulare videtur, ut aliqua de ipsius Ecclesiæ indole, fine, ac potestate præscribamus. Ecclesia igitur est: *eorum omnium a Christo Domino instituta congregatio et societas, qui rite baptizati, eorumdemque Sacramentorum vinculis colligati, sub legitimis Pastoribus et Rectoribus, quorum caput est Romanus Pontifex, Christianam Religionem ad æternam animarum salutem, beatitatemque assequendam, omnimode profitentur* (1).

Proprium igitur Ecclesiæ Christianæ est primum ut sit visibilis, et in sensus cadens. Huiusmodi enim revera sunt Sacramenta, ritus: sunt cives quibus coalescit hæc supra montem locata Civitas,

(1) *Ecclesia*, a graeca voce ἐκκαλέω, latine idem sonat ac *evoco*, *congrego*, et apte indicat coetum, et congregationem *fidelis populi per universum Orbem dispersi*, iuxta Divi Augustini verba.

sunt summus Ecclesiæ Pastor et Rector, caeterique Præsules, fuit demum ipse Aeterni Patris Filius Ecclesiæ auctor, et institutor; qui ut Ecclesiam fundaret suam factus est caro.

Unde non solum corruunt Hæreticorum quorumdam de Ecclesia commenta (2), sed et concluditur pervulgatum illud, Ecclesiam in externo Foro de internis minime judicare.

Deinde proprium est eiusdem Ecclesiæ ut deficere atque interire numquam possit; sed usque ad consumationem sæculi extitura sit, de terrestribus et infernis potestatibus eidem interitum minitantibus, perpetuo triumphatura.

Tertio denique Ecclesia est columna et firmamentum veritatis, ut inquit Apostolus Paulus, ne simus tanquam parvuli in fide fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ: idest Ecclesia afflata Sancto Spiritu in regulis fidei, et morum proponendis Christiano populo, definiendisque hujusmodi controversiis, nulli errori est abnoxia, seu, ut vulgo dicitur, est infallibilis.

Ut autem vera Christi Ecclesia, ab aliis secernatur societatibus Christianorum, quæ cum inter sese in rebus maximi momenti discrepent, ac pu-

(2) Melchior Canus *de loc. theol. lib.* 4. *cap.* 1, *et ult.* absurdam Protestantium sententiam, qui Ecclesiam esse invisibilem arbitrantur, firmissimis argumentis refellit.

gnent, Deum habere nequeunt Auctorem, notæ, ac veluti tesseræ constitutæ sunt quatuor in Constantinopolitano Symbolo comprehensæ, in quo eadem *Una*, *Sancta*, *Catholica*. *et Apostolica* prædicatur.

Ecclesiæ unitatem efficiunt una Fides, unius baptismi, aliorumque Sacramentorum eadem communio, unitas regiminis, et capitis Ecclesiæ tam invisibilis Christi Domini, quam visibilis ejusdem vices gerentis Summi Pontificis.

Sanctitas autem Ecclesiæ mirifice elucet tum ex eius institutore Christo Sancto Sanctorum, tum ex fine institutionis, qui sanctificatio omnium est, tum ex cuiusque generis hominibus, qui in ea eximia pietate ac virtute floruerunt semper et florent, tum vero demum ex adiumentis ad justitiam, sanctitatemque adquirendam, fovendam, amissamque recuperandam comparatis, cuiusmodi sunt sacramenta, multiplicis gratiæ dona, atque ipsa morum disciplina plane sanctissima.

Catholica, seu universalis oportet ut Ecclesia sit, idest, nullis temporum aut populorum, aut regionum finibus circumscripta.

Apostolica demum eadem esse debet, quæ scilicet, seu de doctrina, seu de ordinis vel iurisdictionis potestate agatur, ab ipsis Apostolis, qui præter summum angularem Lapidem Christum Jesum Eccle-

siæ fundamenta fuere, suam petat sine ulla interruptione originem.

Porro nulla alia est Christianorum societas, cui hæc omnia simul congruant præter eam, quæ cum Petri Cathedra arctissime copulatur, et in Romano Pontifice cunctorum Fidelium caput, et communionis suæ centrum agnoscit: ut uberrime a Theologorum doctissimis Bellarmino, Bossueto, Tournelio, cæterisque demonstratum est. Ex quo efficitur, ut eæ solum Ecclesiæ singulares, quæ cum Romana Ecclesia omnium matre ac magistra sacrorum communione iunguntur, veram Jesu Christi Ecclesiam *visibilem*, *infallibilem*, et *indefectibilem*, seu nunquam interituram constituant.

Quamquam Ecclesia Catholica, qua latissime patet, unum corpus constituit, ipsa tamen ejus definitio nos admonet, non omnia membra eumdem actum habere, proindeque Ecclesiam ex institutione Christi societatem esse inæqualem. Sunt enim in ea, ut passim in sacris literis legimus, pastores et oves, doctores et discipuli, qui regant, et qui regantur: verbo, qui sacrum imperium exerceant, et qui parere debeant juste imperantibus. = *Qui vos audit me audit*, inquit ad Apostolos Christus = *Quis vos spernit, me spernit* =. Apostolorum autem epistolæ, sæpe sæpius obediendum esse Præpositis vigilibus animarum nostrarum custodibus, docent, atque commemorant.

Vix autem est quod moneamus Ecclesiæ Pastorum, ac Præsulum potestatem, ut ut amplissimam, totam tamen, quatenus ii Hierarchiam constituunt, referendam, atque exigendam esse ad finem, quem sibi Christus Dominus in ea fundanda proposuit, nempe ad æternam animarum salutem, sobrietatis, justitiæ, ac pietatis operibus adsequendam: unde ea potestas spiritualis et vocatur, et est; et Ecclesiæ leges appellatæ sunt *Canones*, seu *Regulæ*, cum plures ob causas, tum vero maxime quod legis nomen imperiosum nimis, et vim civilem, seu violentam corporis coercitionem, a qua abhorrere in primis debet Ecclesia, continere videretur.

Hinc jam emergit immane illud inter Ecclesiasticam potestatem, et civilem discrimen: quo fit ut et Christiani Principes, et civiles Magistratus pro æterna vita Pontificibus indigeant, et Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uti debeant quatenus spiritualis actio carnalibus distet incursibus: et ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicet, ac vicissim non illi rebus divinis præsidere videantur, qui essent negotiis sæcularibus implicati (3).

(3) Haec sunt verba Canonis *Cum ad verum* dist. 96 qui deceptus est (ut pariter Can. 5 ead. dist.) ex epistola Nicolai Papae ad Michaelem Imperatorem Constantinopolitanum, Photio faventem adversus Ignatium, e Sede Patriarchali delectum. Ad rem etiam pertinent alii duo Canones 10 et 11 in eadem distinctione a Gratiano inserti, quos in suis fontibus vide.

Interesse vero plurimum Ecclesiæ simul ac Reipublicæ, ut unaquæque Potestas suis contineatur finibus, cum ratio ipsa suadet, quæ utriusque potestatis auctorem Deum agnoscit, tum vero Ecclesiasticæ historiæ monumenta testatur. Qui sane fines si, ut par est, sanctissime custodiantur, patebit eorum calumnia, qui nos Rempublicam in Republica, monstrum scilicet ponere perperam comminiscuntur. Nam si in civili societate esse idem potest et paterfamilias, et Magistratus, simul idem et coniux, et miles, aut Dux, quin civilis Respublica distrahatur; quid prohibet ne idem simul sit et civis, et Christianæ Religionis cultor sine publicæ pacis, atque concordiæ iactura, et qua civis est, officia civis ex legibus, qua Cristianus autem, officia Religionis e sacris Canonibus hauriat, iisque simul obtemperet (4)?

Incidunt sane causæ, in quibus vel prudentissimus quisque vix perspiciat atque discernat utriusque potestatis iura; in quibus recte præcipiunt, qui docent enitendum esse maxime, ut alterius potestatis altera poscat opem, amiceque coniuret.

(4) Vid. Petrum de Marca *de Concordia Sacerdotii, et Imperii*.

CAPUT II.

DE JURE CANONICO, ET PRIMUM DE JURE SCRIPTO

Jus Canonicum, quod a sacris Canonibus nomen accipit, definitur = *Jus illud, quod ab Ecclesia per Episcopos, præsertim vero per R. Pontificem explicatum, sancitum, vel adprobatum est, ad rectam Christianorum hominum institutionem* =.

Dicitur etiam Jus Canonicum *Ecclesiasticum,* aut *Sacrum:* quoniam agit de personis, rebusque sacris, atque ecclesiasticis: item quod Ecclesiastica, hoc est, sacra potestate sit latum. Dicitur et *Pontificium*, tum quod magna ex parte a R. Pontificibus constitutum est, tum ut a *Cæsareo*, sive civili jure distinguatur.

Hoc Jus constat partim *divinis*, partim *humanis* legibus, partim *scriptum* est, partim vero *non scriptum*.

Divinæ leges, quæ Deum ipsum habent auctorem vel *naturales*, sunt, vel *supernaturales*, et *positivæ* (1). Naturales accepimus ab ipsa natura, hoc est a Deo naturæ auctore, iisque discimus, quid

(1) Lex Divina naturalis definitur a D. Thoma: *participatio legis aeternae in rationali creatura*. Lex vero aeterna ex D. Augustino est: *Divina ratio vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, et perturbari vetans*.

Deo, quid nobis ipsis, quid aliis hominibus debeamus. Nimirum Deus ipse per rectam rationem impressit animis nostris amorem, et regulas honestatis, ad quam omnes natura ferimur, cuique perpetuo adhæreremus, nisi abstraheremur vitiis, pravisque cupiditatibus.

Quidquid hoc jure prohibetur, malum est per se; quidquid jubetur, bonum; proinde jus naturæ mutari non potest. Ejus fundamentum est ordinatus amor erga Deum, nos ipsos, aliosque homines. Inde fluunt officia omnia naturalis ordinis, quibus tenetur humanum genus, et quæ vel justitiæ sunt sive *absoluta, et perfecta*, vel humanitatis, et beneficentiæ, sive *imperfecta*, vel interdum justitiæ, interdum beneficentiæ, uti res ipsa sese offert, quæ *hypothetica* appellantur.

Positivæ, et *supernaturales* leges a Deo traditæ sunt, cum per naturæ rationem hominibus compertæ esse non possent. Statutæ sunt hæ leges arbitrio, ac voluntate Dei, et continentur Sacrorum Bibliorum veteris, novique Testamenti codicibus, et Ecclesiæ Catholicæ traditione explicantur. Veteris Testamenti libri quadraginta quinque; Novi autem viginti septem a Tridentina Synodo numerantur (2).

(2) *In Decret. de Canonicis Scripturis sess.* 4. Primis saeculis diverso canone usas fuisse Ecclesias satis exploratum est; sed quinto saeculo Patres, et Synodi in Sacrarum Scripturarum canonem

Præterea eadem decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum, Sacram Scripturam, contra eum sensum, quem tenuit, et tenet Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum interpretari audeat: sancitque, ut qui contravenerint per Ordinarios declarentur, et pœnis a jure statutis puniantur (3). Complectitur Vetus Testamentum *moralia* præcepta, quæ ad mores pertinent, *cæremonialia*, quæ cæremonias, ritusque sacrorum, *judicialia*, quæ judicia respiciunt.

Judicialia (4), ac *cæremonialia* præcepta adventu Christi sublata sunt (5); et si qua adhuc vigent, ea servantur, quod ab Ecclesia recepta sunt, non

libros omnes retulerunt, qui hodie canonici vindicantur in Ecclesia Catholica, ut videre est apud Donjat *Praen. Can. Lib.* 1 *Cap.* 8. Communiter ea recepta est divisio Librornm tam Veteris, quam Novi Testamenti in quatuor classes: prima continet *Libros Legis*, seu *Legales*: *Historicos* altera: tertia *Sapientiales* sive *Morales*: et quarta *Propheticos*. Vide *Tabulam Librorum Canonicorum Veteris, Novique Testamenti*, a me Italico sermone conscriptam, ac editam *Pisis per Sebastianum Nistri an.* 1815.

(3) Ibid. *in Decret. de edit. et usu Sacr. Libror.*

(4) Nonnulla *Judicialia* Hebraeorum praecepta nostris legibus, et Ecclesiasticis, et Civilibus comprehendi demonstrarunt viri egregii, et praesertim Petrus Pithoeus in libello cui titulus: *Collatio legum Mosaicarum cum Romanis*; revera ut aliquod afferam exemplum, poenae quae fuerunt sancitae in Exodo *cap.* 21. et 22. contra homicidii, stupri, furti, iniuriarum reos, renovantur *Cap.* 1. *et seqq. de iniur.*, *Cap.* 1. *et* 2. *de adulter.*, *Cap.* 1. *de furt.*, *Cap.* 1. *de homicid.* Ecclesia enim quaedam adoptavit, quae ad rectum Reipublicae Christianae regimen conducere videbantur.

(5) *Cæremonialia* praecepta non statim post Christi mortem evaserunt mortifera; sed aliquo temporis intervallo ea licuit observare, donec Evangelium satis esset propagatum, ut 1.° Hebraei ad Christi fidem facilius converterentur; et 2.° ut Synagoga jam mortua cum honore sepeliretur.

tamquam Moisaicæ legis reliquiæ, sed tamquam Apostolorum, atque Ecclesiæ mandata. *Moralia* tamen præcepta perpetuo manent, nam ea sunt, si certos dies festos excipias, mandata ipsa juris naturæ, a Deo per Moysen confirmata, ac restituta.

Ut a Deo procedit jus Divinum, ita humanum ab hominibus. Ejus autem tres sunt partes: *Conciliorum Canones, Summorum Pontificum Constitutiones, et scripta Sanctorum Patrum*.

Priorem partem Juris Canonici Scripti, uti ex historia Collectionum liquebit, efficiunt *Canones Conciliorum*. *Concilium*, græce *Synodus*, est *cœtus, et consessus Catholicorum Antistitum, qui Ecclesiasticis de causis unum in locum conveniunt*. Horum plura sunt in Apostolorum actis exempla prodita, quorum illud præclarissimum habitum Hierosolymis, ut Christiani Mosayca lege, et Circumcisione soluti dedeclararentur; hinc semper fuit maximus, ob eorum utilitatem, Conciliorum in Ecclesia usus.

Concilia vel *œcumenica*, aut *generalia*, vel *particularia* sunt. Ut Concilium generale habeatur, tria servare oportet. I. Concilium jure ordinario indicendum est consensu, et auctoritate Romani Pontificis, qui per seipsum, vel per Legatos suos Concilio præesse debet. II. Omnes vocandi sunt ex toto Orbe catholici Episcopi: quamquam nihil referat, quod omnes præsentes non sint (6). III. De-

(6) Vid. Doujat *Praenot. Can. Lib.* 2. *Cap.* 1. §. 5.

nique Concilii acta a Pontifice sunt confirmanda (7).

Generalium Conciliorum sunt hæc potissimum: Catholicum dogma definire, moralia præcepta explanare, atque Ecclesiasticam disciplinam constituere; atque illa quidem, quæ in œcumenicis Conciliis de fidei dogmatibus, divinisque præceptis morum sancita, et rite confirmata, atque approbata sunt, divinam obtinent auctoritatem; quæ disciplinam respiciunt, eorum quoque sancta est auctoritas, tum quod hi Canones *Spiritu Dei* conditi habentur, tum quod ecclesiasticam disciplinam moderari semper Pastorum fuit proprium, et præcipuum munus. Verum ad huiusmodi Canones, qui de disciplina sunt, spectat illud Augustini: = *Concilia plenaria priora posterioribus immutari* = (8).

Generalibus Conciliis præter Episcopos, intersunt, atque subscribunt Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui certe eo jure usi sunt in Conciliis

(7) Huius confirmationis necessitatem, ut plurima omittam Concilia, perspectam habuerunt etiam Tridentini Patres statuentes, ut nomine Concilii, omnium, et singulorum quae in eo decreta, et definita fuerant, a Pio IV. peteretur confirmatio. *Trid. sess.* 25. *in fin.*

(8) Octodecim numerantur Oecumenica Concilia, quorum postremum est Tridentinum. Celeberrima autem sunt quatuor priora in Oriente celebrata, *Nicoenum* scilicet, *Constantinopolitanum I.*; *Ephesinum, et Chalcedonense*, communi Sanctissimorum Patrum consensione firmata, quae Gregorius Magnus fatetur se venerari *sicut Sancti Evangelii quatuor libros*. Vid. *Can.* 1. *et* 2. *dist.* 15. et etiam Conciliorum Tabulam italico sermone, Pisis a me typis mandatam.

Lugdunensibus primo, et secundo, itemque Moderatores, sive, ut vocant, Generales Ordinum Regularium, et Abbates ab Episcopo benedicti. Principes quoque, et Imperatores vel per se ipsos, vel per Legatos suos adesse consueverunt, sed ut præsentia sua omnes in officio continerent, atque ad exitum perducenda curarent, quæ ab Episcopis sancita fuerant, non ut quidquam de rebus sacris, atque Divinis constituerent. Quin etiam interdum vocatos constat Presbyteros, et Diaconos, aliosque Clericos, præsertim ut adversus hæreticos disputarent.

Particularia Concilia alia a Patriarchis, alia a Metropolitis, alia ab Episcopis convocantur. Patriarcha omnes sui Patriarchatus, Metropolita omnes Provinciæ Episcopos vocat; atque lex Patriarchalis Concilii omnes afficit Patriarchatus Ecclesias, Concilii autem Provincialis Ecclesias omnes Provinciæ. Si Metropolita, aut Primas, vel Patriarcha Concilio, totique nationi præsit, Concilium *nationale* vel *provinciale* appellatur.

Provinciale Concilium tertio quoque anno habendum est a Metropolita, eove impedito, aut vacua sede, ab Episcopo Provinciæ antiquiore; convenireque jussu ejus debent omnes Provinciæ Episcopi, eidem subjecti, qui Suffraganei vocantur, Abbates, et quotquot venire consueverunt, quin etiam Episcopi exempti, quibus eligendus est vi-

cinus aliquis Metropolita, ad cujus Provinciæ Synodum accedant. Omnes hi Concilio interesse coguntur, et si iusta causa impediantur, procuratorem mittere, et excusationem debent. Ea vero, quæ in Concilio Provinciali sunt constituta, antequam promulgentur, mittenda sunt ad Sacram Congregationem Concilii, ut emendetur, si quid minus recte decretum sit; quin etiam interdum a Summo Pontifice confirmantur. Verum hæc confirmatio non efficit, ut Canones extra Provinciam, in qua sunt conditi, vim consequantur (9).

Episcopus autem vocat ad *Synodum* suam, quæ *Diæcesana* dicitur, Archipresbyteros, Archidiaconos, et cæteros qui dignitatem habent, personatum, officium, Vicarium generalem, et Vicarios foraneos, Parochos, et omnes, nemine prorsus excepto, qui curam habent animarum; præterea Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, et Canonicos Collegiatarum, Abbates sæculares, atque etiam regulares, qui generalibus Capitulis non subduntur, cuntosque Exemptos, qui alioquin sublata exemptione, ad Synodum venire deberent (10).

(9) Constat Concilium Nicaenum decrevisse celebrandas *bis in anno* Synodos Provinciae, quae per octo priora Saecula, Tribunal veluti ordinarium fuere, in quibus definitive judicarentur causae Clericorum, et Laicorum, si contra Clericos agerent: ac etiam causae Episcoporum, et ipsius Metropolitae. Consule Wan-Espenium *I. E. U. Part.* 1. *Tit.* 20. *Cap.* 2.

(10) V. Trid. Ses. 24. C. 2. *de Ref.* et Bened. XIV. de *Syn. dioec.* ubi plura.

Habenda sunt hæc Concilia annis singulis, quæque ibi statuta sunt obstringunt Diœcesim universam. Ea jure indicit post confirmationem suam Episcopus, haud vero Archiepiscopus antequam pallium acceperit, neque Vicarius Episcopi Generalis, nisi ex peculiari mandato, neque Vicarius Capitularis, nisi post annum a proxime habita Synodo, neque demum Vicarius Apostolicus, non impetrata venia a Summo Pontifice.

Deinde a Christo Domino tributa fuit Petro, eorumque successoribus gregis universi cura, confirmandorumque fratrum auctoritas. Quare uti in commune Ecclesiæ, atque animarum bonum *sanxit, vel sanxerit* (quemadmodum in utriusque juris codicibus legimus) *Sedis Apostolicæ auctoritas*, ita jus esto.

Conciliorum statuta speciali quodam modo *Canones* appellari solent; Pontificiæ vero Constitutiones, vel *Decreta* vocatur, vel *Decretales Epistolæ*, vel *Rescripta* aut *Mandata*, vel *vivæ vocis oracula*.

Decretum dicitur quando motu proprio aliquid decernit, statuitque S. Pontifex: quod prioribus sæculis fieri plerumque solebat in Concilio Episcoporum, si de generalibus regulis statuendis ageretur; nunc vero fit adhibito S. R. E. Cardinalium consilio, qui proinde ex diversis orbis christiani

regionibus sunt eligendi dignissimi (11). *Decretales* Epistolæ sunt, in quibus Pontifex scripto respondet Episcoporum, aliorumque quæstionibus, et quidem ea mente, ut in iisdem causis, idem sit juris (12). *Rescripta*, seu *mandata* vocantur cum Pontifex alicuius precibus motus aliquid injungit, conceditve, *Justitiæ* quidem si de litibus, rebusque contentiosis; *Gratiæ* vero si de voluntariis, aut Beneficiis agatur (13). Atque huc spectant privilegia, quæ ius singulare concedunt vel certo homini, vel hominum certo generi, modo ad tempus, cujus generis sunt privilegia personalia, modo in perpetuum, quæ vocantur privilegia realia, vel quæ certo personarum generi perpetuo tribuuntur. Speciales quælibet constitutiones, quæ *Rescripta* dicuntur, illud semper tacite habere censentur *si preces veri-*

(11) Trid. Ses. 24. *de Ref.* c. 1., et Ses 25. c. 1. *de Ref.* Hic juvat adiicere quod Clarissimus Joan. Devoti subiungit *in Cap.* 3. §. 35. :Prolegom. ad instit. *Pontificum generales sanctiones ad Episcopos, Christianosque omnes datas loquendi usus Bullas nuncupavit. Hodie Pontifex si quid pro universa Ecelesia statuit aut Bulla utitur, aut Decreto alicuius Sacræ Congregationis Cardinalium, quod ipse probaverit. Iisdem utitur in privatis quoque negotiis; sed hæc plerumque per Breve expediuntur.*

(12) *Decretales* dicuntur eo quod, per eas, causa mature deliberata, aliquid generaliter valiturum decernatur. Sic apud Iurisconsultos *bonorum possessio decretalis* opponitur *edictali*, quæ postulanti datur ex ipso edicto, sine decreto, et causæ cognitione: *decretalis* vero, quæ non ex solo edicto, sed interveniente decreto Magistratus, et causa cognita petenti adiudicatur. Vinn. *Com. in instit. lib.* 3. *tit.* 10. §. 3.

(13) V. Proleg. Franc. Foggi, et Devot. ibid. §. 36.

tate nitantur (14). Quare per subreptionem, atque obreptionem, irritum est rescriptum, cum nimirum aliquid falsi narratum est, aut prætermissum veri, quod omnino scire oportebat.

Denique tertia pars juris humani scripti, Sanctorum Patrum sententiis continetur. Non hæ porro sententiæ suo jure Christianos obligant, cum Sancti Patres non latores legum sint, sed interpretes tantum, atque doctores. Veruntamen scitum est, eos fidem probabilem facere, si complures, certam vero, si plerique omnes in eamdem sententiam conveniant. Quin etiam Summi Pontifices plures unius, alteriusve Patris sententias in juris corpus retulerunt; atque hæ Pontificia auctoritate vim legis habent. Appellantur autem Sancti Patres pii illi, doctique viri, qui res divinas scriptis illustrarunt, et fundatam ab Apostolis Ecclesiam, dogmatibus fidei expositis, et regulis morum constitutis, nutrierunt, et ampliarunt; ideoque merito dicti Ecclesiæ Patres (15).

(14) Cap. 2. 6. 8. 10. 20. *de Rescript.* Mascat *h. t.*

(15) Vid. Vincent. Lirinens. in *Commonit. Cap.* 39. *T.* 7. *Bibl. Patr. edit. Lugd.* Tria potissimum requiruntur, ut Ecclesiasticus Scriptor in Sanctorum Patrum numero habeatur. Primo antiquitas; nam Ecclesia insigni Patrum titulo eos tantum celebravit Scriptores, qui primis duodecim Saeculis Christianae Religionis floruerunt. Divus Bernardus novissimus in ordine Patrum computatur. Posteriores vero docti, sanctique viri, ob antiquitatis defectum non Patres, sed Doctores aptius dicuntur: quos inter S. Thomas, et S. Bonaventura praecipuum tenent locum. Secundo, eminens requiritur doctrina cum eximia vitae sanctitate coniuncta. Deus enim singulari providentia suae Ecclesiae concessit Patres, ut in ea es-

Placuit etiam Summis Pontificibus in corpus Juris Canonici referre leges quasdam civiles eductas potissimum ex codicibus Theodosiano, et Justinianeo, atque ex Capitularibus Regum Francorum (16), quæ idcirco *Canonizatæ* dicuntur (17). Sed hic recolenda sunt ea, quæ supra Cap. I. de utriusque Potestatis finibus adnotavimus.

CAPUT III.

DE JURE NON SCRIPTO

Ius non scriptum *Traditione* comprehenditur, et *Consuetudine*. Traditionis nomine intelligimus mandata, quæ non scripto, sed viva voce populis nun-

sent veluti luminaria. Tertio requiritur, ut in fide, et comunione Catholica constanter vixerint. Notandum igitur nonnullos celeberrimos Scriptores Ecclesiasticos in numero Patrum non recenseri, veluti Tertullianum, Origenem, Eusebium Caesariensem, aliosque paucos, quorum fides, vel defecit aliquando, vel suspecta est. Id tamen non impedit, quominus laudari possint tamquam Ecclesiasticae traditionis, et disciplinae suorum temporum testes.

(16) *Capitularium* nomen in universum sumptum intelligitur de omni opere scripto in varia capita diviso, ut Codex, inquo descripta erant initia et fines lectionum, et Evangeliorum, quae olim in Ecclesiis canebantur, antiquitus erat inscriptus: *Capitulare Evangeliorum de circulo anni;* unde hoc nomen extenditur ad omne constitutionum genus, sive Ecclesiasticae sint, sive civiles, aut politicae: ast hic intelligimus collectiones legum, quas Francorum Reges, praesertim secundae stirpis, sanxerunt in conventibus publicis, suffragantibus Episcopis, et Regni Proceribus, partim ad Ecclesiae, partim ad Reipublicae bonum spectantes.

(17) Ita Iustinianus in L. 1. §. Omnia Cod. de vet. Jur. enucl: *omnia merito nostra facimus, quia ex nobis omnis eis impertietur auctoritas.* Concordat Bonifacius VIII. in Cap. Si Apostolicae 22. de praebend. in VI.

ciata sunt, et Ecclesiæ observata consensu quasi per manus tradita ad nos pervenerunt. Maxima semper in Ecclesia fuit Traditionis auctoritas: et qui eam despiciunt plectuntur a Concilio Tridentino pœna anathematis (1).

Traditio vel *divina*, vel *humana* est. Divina auctorem habet Deum ipsum: humana Ecclesiarum Rectores, hoc est Apostolos, vel eorum successores Episcopos, quibus placuit nonnulla decernere voce, et prædicatione. Hinc humana traditio vel Apostolica, vel Ecclesiastica appellatur, prout ab Apostolis, vel ab Episcopis proficiscitur.

Inter divinas, et humanas traditiones magnum discrimen est. Nam illæ ad catholicum dogma pertinent, vim eamdem habent, quam sacræ scripturæ, observandæ sunt in Ecclesia universa, quæ illas abrogare non potest, quamquam ejus tantum sit interpretari divinas traditiones, easque ab humanis secernere. Quo fit, ut ea solum divina traditio haberi debeat, quæ talis Ecclesiæ judicio existimatur. Contra vero humanæ traditiones Ecclesiæ disciplinam respiciunt, et mutantur ab Ecclesia, cum id ejus utilitatis, ac necessitatis ratio postulat. In qua tamen re maximas adhibuere semper Pontifices cautiones (2). Denique etsi interdum universa-

(1) *Ses. 4. in Decr. de Canonicis Script. in fin.*
(2) Innocent. I. *Epist. ad Decent. Episc. apud Const.*

les esse possint, pleræque tamen certis continentur regionibus, neque ad totam Ecclesiam pertinent.

Consuetudo jus est inductum moribus hominum, et usu diuturno, quæ vim habet legis, modo honesta sit, laudabilis, ab omnibus diu servata, tacito, aut expresso Pastorum consensu introducta. Ea sæpe recedimus a jure scripto, interdum non recedimus; illam consuetudinem *contra jus*, et hanc *præter jus* appellamus. Utraque consuetudo opus habet frequentia actuum, quibus inducatur, voluntate ejus inducendæ in illis, qui eam servare debent, consensu Legislatoris, qui novum hoc jus observari consentiat, diuturnitate temporis, quod in consuetudine contra jus esse debet annorum quadraginta, decem vero in consuetudine præter jus, quod longum tempus in jure est. Cum hæc servata sunt, non modo consuetudo legi vim adimit, sed etiam vim tantam habet, ut ei recentiori legi non derogetur, nisi id nominatim conscriptum, cautumque sit. Decreta tamen Concilii Tridentini contraria consuetudine tolli non possunt (3).

(3) *Cap.* 18. *de Praeben.* Interpretes in *Cap.* 25. *de Verb. Sign. Cap* 5 *de off. Ordin. in VI. L.* 2. *et* 3. *Cod. quae sit long. Consuet. Cap. I. de Constitut. in VI.* Pius IV. *Const. in Principis* 109 *Bull. M. T.* 4. *Part.* 2.

CAPUT IV.

DE COLLECTIONIBUS CANONUM HODIERNUM CORPUS CANONICI JURIS PRAECEDENTIBUS.

Ecclesiam legum ferendarum sibi a Christo Domino tradita potestate, vel ante Constantini Magni *pacem* (ut dicitur) pro re nata usam fuisse, nullus Catholicorum dubitat. Nam et plura præceperunt ad Ecclesiæ bonum Apostoli, ut jam adnotavimus, patetque ex Pauli, aliisque Canonicis epistolis, eorumque proximi successores, quædam etiam secundo, et tertio sæculo sunt acta Concilia. At Collectiones earum legum, quas aptissime appellari Canones placuit, in Orientali primum, deinceps in Occidentali quoque Ecclesia confectæ, vulgatæque sunt.

Variæ variis temporibus prodiere hujusmodi Canonum Collectiones; sed non eadem omnium ratio fuit. Aliæ Canones integros, aliæ contractos, quædam solum Canones, quædam Canones simul, et leges Principum habent, atque hæ a Græcis *Nomocanones* appellantur.

Quod attinet ad methodum, in antiquioribus servata est ut plurimum ratio temporum, in recentioribus rerum seu materiarum; scilicet ad certa capita, et titulos relati sunt Canones, ut materia ipsa postulare videbatur.

Sed ne in sacro Jure Tyrones in ipso Institutionum limine multitudine ac varietate rerum moremur, et fortasse obruamus, antiquiores collectiones raptim percurremus.

Antiquissimæ itaque Canonum Collectiones eæ sunt, quarum altera *Canones Sanctorum Apostolorum* inscribitur (1): altera *Constitutionum Apostolicarum* libros octo complectitur sub Clementis I. Romani Pontificis nomine (2). Sed hæc, ut apocrypha monumenta sæculo forte ineunte quarto congesta habeantur, plura suadent, quæ idipsum persuasere Tillemontio, Van-Espenio, Natali Alexandro, Ioanni Devoti, aliisque plurimis.

Collectionis alicuius Antiquorum Canonum men-

(1) Maxima eruditi omnes jamdiu contentione certarunt in perpendenda horum canonum auctoritate. Nonnulli eos per Apostolos fuisse conditos excogitarunt, et per Clementem Pontificem evulgatos. Alii Apostolis falso tributos esse existimarunt, eosdem tamen respicientes, ut veteris et optimae disciplinae venerabile monumentum. Alii medium secuti viam nonnullos canones a *cæteris* secreverunt, illos reiicientes, aliosque Apostolicos appellantes. In tanta animorum dissensione, et antiquitatis caligine nihilominus tenendum est, eos Apostolis adscribi non posse, cum multa in iis adversentur Ecclesiae doctrinae, itemque ante quintum Saeculum ignotos fuisse; nam si primis Ecclesiae saeculis innotuissent, Patres usi fuissent eorum auctoritate, ad dirimendas controversias exortas circa nonnulla, quae in his canonibus statuuntur: ut in quaestionibus de rebaptizandis, et de Paschate celebrando. Quod ad numerum vero, Graeci 85 recensent, vel 84, duos simul iungentes; Latini tantum 50 et in Can. 2. *dist.* 16 sexaginta, sed per errorem. Omnes post Gratianeum opus a typographis congestos reperies.

(2) Etiam Constitutiones istae sunt apocryphae, et ab Ecclesiae doctrina quibusdam in rebus inveniuntur alienae. Natalis Alexander, *Hist. Eccles. Saec. I dissert.* 19 notat errores, quibus scatent.

tionem fuisse in Concilio Chalcedonensi an. 451 factam omnino constat; sed quot quibusque Canonibus ea contineretur, non satis liquet. Id certum videtur inter veterem Romanæ Ecclesiæ codicem Canonum, et eum quo Oriens utebatur aliquid fuisse discriminis: adeo ut hic etsi auctus postea fuerit ipsis Chalcedonensibus, aliisque Canonibus, non satis tamen accurate dicatur *Codex Canonum Ecclesiæ Universæ*.

Canones ita pro temporum fere ratione digestos medio ferme sexto sæculo in quinquaginta Titulos tribuit Ioannes cognomento Scholasticus (3), cui Collectioni Apostolorum Canonibus octuaginta quinque, et sexaginta octo ex Sancti Basilii Epistolis eductis locupletatam, aliam addidit, in quam plura ex Justiniani præsertim Codice, ac Novellis excerpta primus inseruit; unde hæc Collectio dicta est *Nomo-Canon*. Novas quoque additiones, inquit laudatus Devoti, accepit Græcorum Codex, cum *Trullana* seu *Quinisexta* Synodus habita est. Neque suus apud Græcos defuit honos Collectionibus Photii, qui Græcorum Schismatis vel auctor, vel certe pars magna fuit, Simeonis Logothetæ, Alexii Aristini, Arsenii, Harmenopuli, de quibus omnibus singillatim dicere longum est, ac non necessarium (4).

(3) Sic appellatus, quod e schola, sive ordine advocatorum ad Ecclesiasticum ordinem transiisset.

(4) De his videndi potissimum Voellus, et Justellus, in Biblio-

Atque ut a Græcis Collectionibus ad Latinas progrediamur, quoniam non licet ire per singulas Africæ, aut Galliarum, aut Hispaniæ Collectiones, satis erit animadvertere, quamquamque fere alicuius nominis gentem habuisse suam, ita plerumque digestam, ut temporum potius in canonibus describendis, quam rerum ratio habeatur. Aliis tamen collectoribus placuit Canones breviter, ac summatim indicare, et in titulos distribuere, ut sexto sæculo Fulgentio Ferrando Cartaginensi in sua *Breviatione* Canonum, eademque fere ætate Martino Bracarensi Episcopo, qui breviter in altera suæ collectionis parte, quæ ad Episcoporum, et Clericorum officia, in altera, quæ ad Laicos pertinent, complexus est. His recentior Cresconius Africanus Episcopus *Breviarium Canonum* edidit, et *Concordiam*, aut librum Canonum septimo Ecclesiæ sæculo Saracenis Africam occupantibus: de quibus, aliisque huiusmodi adeundi sunt præcipue Ballerinii fratres in Appendice ad opera Sancti Leonis Magni.

Sed inter latinos canonum collectores (non enim vacat de Prisca Græci Codicis versione disputare) eminet Dionysius *Exiguus* Aeræ vulgaris auctor, qui sæculo ineunte sexto cum novam priscæ illius versionem suscepit, tum Romanorum Pontificum

theca Juris Canonici veteris, nec non Beveregius in suis Graecorum Canonum *Pandectis*.

Decretales tantum epistolas, non vero *Synodicas* a Siricio ad Anastasium usque secundum, quas reperire potuit, in unum collegit diligentissime (5). Animadvertendum autem est, in Dionysiana illa priori compilatione 50 solum Apostolicos Canones recenseri: tum 138 Africanos, Chalcedonenses 27, et Sardicenses 21, atque hos cum Nicænis, Ancyranis, et cæteris sub una eademque numerorum serie esse dispositos.

Auctus est hic Codex Symmachi, et Hormisdæ Pontificum Decretis; quibus Gregorii Junioris accessere serius Responsa, post annum scilicet 715, atque ex hac, et Dionysii Collectione conflatus est Codex Canonum vetus Ecclesiæ Romanæ (6).

Continebantur autem eo Codice, teste Leone IV. Pontifice in epistola ad Episcopos Britanniæ, medio nono Ecclesiæ sæculo: 1. Canones Apostolorum: 2. Nicæni: 3. Ancyrani: 4. Neocæsarienses: 5. Gangrenses: 6. Antiochenses: 7. Laodicenses: 8. Costantinopolitani: 9. Ephesini: 10. Chalcedonenses: 11. Sardicenses: 12. Africani una cum Carthaginensibus, et cum iis regulæ Romanorum Præsulum, nempe: 1. Silvestri: 2. Siricii: 3. Innocen-

(5) *Exigui* nomen pluribus antiquitus commune fuisse, et modestiae causa consuevisse usurpari, ex vetustis monumentis apparet; igitur patet cur Dionysius, de quo sermo est, *exiguum* semetipsum appellaverit; eoque magis, quod hoc nomine uti solerent Monachi, e quorum numero ille erat.

(6) Eius mentio habetur in *Can.* 1. *dist.* 19. *et Can.* 1. *dist.* 20.

tii I. 4. Zosimi: 5. Cælestini I. 6. Leonis I. 7. Gelasii I. 8. Hilarii: 9 Symmachi: 10. Hormysdæ: 11. Simplicii: 12. Gregorii Iunioris, de quibus ita concludit idem Pontifex = *Isti omnino sunt, et per quos iudicant Episcopi, et per quos Episcopi simul iudioantur et Clerici* = (7).

Præterea Isidorus Hispalensis Episcopus, sive alius tanti viri nomine, novum corpus canonum adornavit: quæ collectio Hispalensis dicitur. Ibi cum Apostolicis, et Græcorum Conciliorum Canonibus ex antiqua versione (diversa ab ea, quam concinnaverat Dionysius) comprehenduntur Africana Concilia expansa octo, Gallica septemdecim, Hispanica novem et viginti: Capitula item Martini Bracarensis, et Pontificum Romanornm Decreta: Damasi primum, deinde Siricii, et sequentium, eadem quæ supra indicata sunt.

Ast in summa noni Ecclesiæ sæculi caligine, sub Isidori *Mercatoris* aut *Peccatoris* nomine, nova Collectio vulgata est, quæ maximas excitavit turbas; namque is, ut videtur, Hispalensi Collectioni multa falsa, et forte ab ipso conficta admiscuit Pseudo-Isidorus, praesertim vero Epistolas decretales Siricio antiquiorum Romanorum Pontificum a Clemente scilicet I. ad Silvestrum, ex quo eædem Epistolæ *Antesiricianæ* vocantur. Harum falsitatem vix ullus

(7) *Citat. Can. De Libellis* 1. *Dist.* 20.

est in Ecclesiasticis rebus vel mediocriter versatus, qui non fateatur. Verum iis ultro assentimur, qui conscios, participesque tantæ fraudis negant Romanos Pontifices. Earumdem siquidem epistolarum nulla est prorsus mentio in laudato Can. 1. D. 20., nec in Epistola Romani Pontificis Nicolai Leone 4. recentioris ad Galliæ Episcopos, inter quos et Romanam Sedem fervebat de appellationibus quæstio. Nam eo tantum in tot figmentis consarcinandis spectasse videtur, *Mercator* ille seu *Peccator,* ut Christiani homines ab accusandis Episcopis deterrerentur; quod ipse in sui operis præfactione declarat, nititurque conficere potissimum in Capitulis, quæ falso prorsus Hadriano Pontifici adscripsit.

Has quas exposuimus collectiones subsequntur aliæ notissimæ, quarum præcipuæ sunt:

1. *Canonum Pænitentialium* Collectio ex incerto Authore, quæ tamen universam veteris iuris Canonici prudentiam complectitur.

2. Reginonis opus: *De Ecclesiastica disciplina et Religione Christiana* anno 906, quod suis notis illustravit Cl. Balutius.

Sæculo XI. ineunte Burchardi Wormatiensis Episcopi *Magnum Decretorum volumen* in 20 libros divisum, postea dictum, brevitatis ergo *Decretum*.

4. Anselmo Lucensi quoque tribuitur *Authentica et compendiosa collectio Regularum, et Sententiarum Sanctorum Patrum, et authorabilium Conciliorum.*

5. Denique Ivonis Carnotensis in Gallia Episcopi circa annum 1100 extant tum *Excerptiones* Ecclesiasticarum Regularum, tum *Pannormia* (8).

CAPUT V.

DE COLLECTIONIBUS, QUAE HODIERNUM IURIS CANONICI CORPUS CONSTITUUNT.

Transgredimur nunc ad recentioris Iuris Canonici collectiones, et primum quidem occurrit Gratianus Monacus Benedictinus Clusii natus, qui medio Sæculo XII. scripsit *Concordiam discordantium canonum*, quam nunc *decretum* vocamus (1). Tota hæc collectio conflata est ex locis S. Scripturæ, ex canonibus quinquaginta Apostolorum, ex conciliis generalibus ac particularibus, ex decretalibus Summorum Pontificum, ex operibus Patrum, scriptorumque Ecclesiasticorum, ex libris Iuris Civilis Romanorum, Capitularibus Regum Francorum, et rescriptis aliquot Imperatorum, denique ex historia ecclesiastica, gestisque Summorum Pontificum ple-

(8) *Pannormia*, seu, *Panormia* quasi quidam omnium Legum cumulus.

(1) Decreti nomen huic volumini per abusum tribuitur, cum non unum Decretum, sed innumera prope Decreta Ecclesiastica comprehendat; qua de re Antonius Demochares *Decretorum Collectanea* hoc opus inscripsit.

rumque desumptis ex *Libro Diurno*, atque ex *Ordine Romano* (2).

Dividitur autem universa collectio in partes tres, quarum prima de personis præsertim agit, et continet *Distinctiones* 101, et sub qualibet distinctione plures *canones*, qui ita allegantur, ex. gr. *can. omnes. dist.* 1., hoc est, *can.* qui incipit *omnes dist.* 1., vel per numerum canonis, ex. gr. *can.* 3. *dist.* 1. Has operis sui sectiones ob id *Distinctiones* dixit Auctor, quod adhibita distinctione aliqua, Canones inter se pugnantes conciliare conatus fuerit.

Pars altera iudicia persequitur, eaque divisa est in *causas*, quæ sunt numero 36: sub unaquaque causa sunt plures *quæstiones*, et sub quæstionibus plures *canones*. In altera hac parte laudantur *numerus, causæ, et quæstiones*, præterea numerus, vel priora canonis verba *ex. gr. can.* 2. *caus.* 8. *quæst.* 2., vel *can. nemo caus.* 11. *quæst.* 3. Extat in hac decreti parte, hoc est *in caus.* 33. *quæst.* 3. tractatus *de pœnitentia* in septem distinctiones tributus (3). Cum indicantur canones, qui in hoc Tra-

(2) *Liber Diurnus Romanorum Pontificum*, Collectoribus Canonum non ignotus, post plura saecula repertus, et in lucem editus fuit an. 1680. Parisiis ab Ioanne Garnerio e Societate Jesu, et continet eorum formulas, quae in usu fere quotidiano erant apud Romanam Ecclesiam, ac videtur conscriptus saeculo VIII. *Ordo* autem *Romanus* antiquus, qui ad tempora propemodum Gregorii Magni refertur, agit de Divinis Catholicae Ecclesiae officiis, ac ministeriis: uterque incerti auctoris.

(3) Cur inter mediam coniugiorum materiem, inseruerit Gratia-

etatu referuntur, ne cum canonibus primæ partis confundantur (eodem enim modo procedunt) additur *de pœnitentia*, et causa nequaquam citatur, ex gr. *Can. quem pœnitet dist.* 1. *de pœniten.*

Denique *ad res* sacras pertinet tertia pars, eaque complectitur tractatum *de consecratione* tributum *in quinque distinctiones*, quarum canones laudantur hoc modo *can. tabernaculum dist.* 1. *de consecr.*, vel *can.* 1. *de consecr. dist.* 1. Additur *de consecratione*, ut noscatur canonem ad partem tertiam pertinere.

Summo quidem plausu exceptum fuit Gratiani opus plures ob causas, quæ vel in promptu sunt, vel oretenus indicabimus, maximusque fuit ejusdem usus cum in scholis, tum in utroque foro, ut ipse Dantes cecinit (4); pluribus tamen mendis scatere illud debuit, si ætatem in qua prodiit consideres, et corruptos Isidori, Burchardi, Ivonis aliorumque huiusmodi rivulos, unde ea manavit Collectio, perspectos habeas. Hinc medio sæculo decimo sexto plures eruditi viri, ut Antonius Contius, De-

nus tractatum *de Poenitentia*, notatur a Doujat, in suis Praenot. Can. *Lib.* 4. *Cap.* 7. *sub.* §. 11. his verbis: *Causa trigesima tertia probat impotentiam coeundi, dirimendo penitus coniugio locum facere; deque adulteræ pœnitentia loquens, demonstrat, licet mente præcipue peccetur, non ideo sola cordis contritione deleri peccatum sine confessione: qua occasione inseritur hoc loco tractatus de* Poenitentia.

(4) *Cant.* 10. *Cantica* 3.

mochares, Antonius Augustinus, et Gratiani Canones numerarunt, et in eo emendando impensam collocarunt operam. Idipsum factum est iussu Romanorum Pontificum Pii IV., et Pii V., nec non Gregorii XIII., a pluribus selectissimis viris, qui idcirco *Romani Correctores* dicuntur; quo demum Pontifice, prout eai ferebat ætas, emendatior Gratianus prodiit. Hinc ut hoc opus sane utilissimum expurgaretur, in sequentes plerique Iuris nostri cultores adlaborarunt, inter quos imprimis est consulendus Sebastianus Berardus in opere, cui titulus *Gratiani Canones genuini ab Apocryphis discretie*tc.

Ex quo facile intelligitur ne per Gregorianam quidem correctionem Gratiani *Decretum* vim publicæ Ecclesiæ legis obtinuisse; tantum abest, ut hanc eidem tribuerit Eugenius III., cui illud ab Auctore oblatum, dicatumque a nonnullis creditur: quare ne nunc quidem illud vim Iuris habet (5).

De Canonibus demum, qui apud Gratianum *Palea* inscribuntur, non est cur solliciti admodum simus; cum facilius sit aliorum hac de voce coniecturas refellere, quam propriam certa ratione de-

(5) *Inquit Benedictus XIV. de Syn. Diœc. l. 7. c. 15. §. 6. Quin immo inter omnes receptum est, quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani Collectione insertum foret.*

fendere. Id solum constat in vetustissimis Codicibus eos Canones ad marginem reperiri.

Altera *Collectio*, qua nunc constat Corpus Iuris Canonici est *Decretalium* D. *Gregorii IX. Compilatio* eiusdem Pontificis iussu a Sancto Raymundo de Pennafort ad instar Iustinianæi Codicis digesta, et anno 1230, seu mavis 1234, ad Bononiensem Academiam transmissa, ut ea tantum quinque aliis, quæ circumferebantur (6) posthabitis, quilibet *in iudiciis, et scholis uterentur* (7).

A Decretalibus autem Epistolis hæc Compilatio nomen habet, quod magna ex parte coalescat ex Pontificum responsis, quibus ii aliquid decernebant, ut consultorum quæstionibus satisfacerent. Cæterum depromptæ sunt Gregorianæ Decretales, non tam ex constitutionibus Pontificum Romanorum a S. Gregorio I., usque ad Gregorium IX.,

(6) Erant autem

I. Breviarium Extravagantium Bernardi Circa Praepositi Papiensis.

II. Ioannis Galensis seu Vallensis, qui in ea etiam Caelestini tertii Constitutiones complexus est anno 1202.

III. Petri Diaconi Beneventani, qui constitutiones Innocentii tertii, primis duodecim Pontificatus sui annis editas, ipso iubente, ac probante digessit.

IV. Incerti Auctoris, qua posteriores eiusdem Innocentii tertii Constitutiones, nec non Lateranensis quarti Concilii, cui idem Pontifex praefuerat Canones continebantur. Has autem vulgavit, notisque illustravit Antonius Augustinus.

V. Honorii tertii, qui Innocentio tertio successerat, constitutiones complectebatur, de qua consulendus est potissimum Innocentius Cironius.

(7) Vid. Decretalium Gregor. IX. Proemium, quod incipit *Rex pacificus*.

quam etiam e S. Scriptura, et Conciliorum Canonibus ab Antiocheno usque ad Lateranense IV., denique ex Patrum, aliorumque auctorum operibus.

Dividitur Gregoriana collectio in quinque libros, quorum ordinem, et res de quibus agitur in unoquoque eorum, exhibet hic versiculus:

Iudex, Iudicium, Clerus, Sponsalia, Crimen (8).

Libri autem divisi sunt in plures titulos, quorum singuli plura capita continent, et capita cum longiora sint, in paragraphos tribuuntur. Ex his quoties aliquid laudandum est, indicantur prima verba capituli, vel numerus capitis, vel utrumque simul, hoc modo ex. gr. *Cap. venerabilem de elect.*, *Cap. I. de Cleric. coniung. Cap. tua nos 26. de sponsal. et matrim.*

Sed quoniam Collector, forte in hoc ipso Tribonianum sequutus Pontificii mandati fines aliquando videtur non custodisse, hinc ad rectam Decretalium intepretationem conducet maxime, integras Decretales apud superius laudatos scriptores consulere; imm o etiam ipsos aliquando fontes, unde illæ derivantur, oportebit adire: ut præclare docet Wan-Espenius (9). Sæpe enim videmus excisas et obtruncatas a Raymundo Decretales Epistolas, quod indicat

(8) Quoad praecipuum ordinem, et titulos Collectionis Decretalium vide ad calcem huius operis rubricas Decretalium Gregorii IX., quibus ad marginem tituli quoque aliarum Collectionum nectuntur.

(9) *In fin. part. 7. et in part. 8. Tom. 3. edit. Lovan. an. 1759.*

formula *et infra* : unde pars illa quæ deest, dicitur *pars decisa*.

Gregorianæ collectioni deesse aliquid videbatur, cum novæ deinceps prodiissent Summorum Pontificum constitutiones, dignæ sane, quæ in unum corpus redigerentur, partemque communis iuris constituerent. Itaque Bonifacius VIII. anno quarto, postquam Pontifex creatus fuerat, usus opera Guillelmi Archiepiscopi Ebrudunensis, Berengarii Episcopi Biterrensis, et Riccardi de Senis, qui omnes postea Cardinales facti sunt, collegit canones duorum generalium Conciliorum Lugdunensium, et Decretales Pontificum Romanorum, quæ post editam Gregorii IX. Collectionem fuerant evulgatæ: atque ex iis suis etiam comprehensis constitutionibus confecit *Sextum Decretalium*. Quare hæc collectio Gregorianæ est supplementi loco, ac totidem, quot ea, libris constat. Eius capita cum laudantur, in fine additur *in sexto*, ut a capitibus Gregorianæ collectionis distinguantur, hoc modo ex. gr. *Cap. Concertationi de appellat. in* 6.

Paulo post Bonifacium VIII. Clemens V., qui Pontifex renunciatus est initio Sæculi XIV., collectionem fieri jussit quamplurium constitutionum, quas ipse emiserat in Concilio Viennensi. Sed cum morte occupatus eam in vulgus edere non potuisset, id perfecit Ioannes XXII. qui illam in quinque libros divisam sexto Decretalium adiecit. *Clementi-*

na hæc collectio appellatur ab auctore suo Clemente V., et constitutiones in ea comprehensæ citantur hoc modo, ex. gr. *Clement. si furiosi de relig. domib.*

Post Clementinas prodiere *Extravagantes*, quæ hoc nomine appellatæ sunt, quia vagabantur extra corpus Iuris Canonici, atque extra collectiones, quibus tunc Ius ipsum constabat (10). Duplex earum genus est. Aliæ nimirum sunt Ioannis XXII., aliæ *Communes* dicuntur, quod non unius Pontificis, quemadmodum Extravagantes Ioannis XXII., sed complurium continent decretales ab Urbano IV., usque ad Sixtum IV., quo Pontifice hæc collectio *privato studio* perfecta est. Ea vero dividitur in libros quinque, sicut Gregoriana, vacat tamen in ea quartus: et eius loca sic laudantur: *Extrav. Rem non novam de dol. et contumac. inter commun.* At vero Extravagantes Ioannis XXII., omnes uno comprehensæ sunt libro; atque ita ejus loca indicantur, *Extrav. cum inter nonnullos Ioan. XXII. de verb. signif.*

Atque hi sunt libri illi, videlicet *Decretum*, *Decretales*, *Sextus Decretalium*, *Clementinæ*, *Extravagantes*, quibus in scholis, atque in foro utimur,

(10) Pontificiae omnes constitutiones post Decretum editae olim *Extravagantes* dicebantur, quod extra volumen illud vagarentur; et ideo primam earum collectionem Bernardus Papiensis *Breviarium Extravagantium* appellavit. Sed posteaquam in manus hominum pervenit collectio Gregorii IX. (cum Decretales in ea comprehensae non amplius vagarentur, et tamen extra primum Iuris corpus consisterent) Doctores eius temporis hanc collectionem indicantes solum vocabulum *extra* retinuerunt.

et quibus corpus Iuris Canonici conflatum est. Sunt in libris singulis *Glossæ*, hoc est commentarii, quí multorum quidem opera exarati sunt, et qui non maiorem habent auctoritatem, quam privati Doctoris opinio habere potest in legibus explanandis. Corpus integrum Iuris Canonici Gregorio XIII. Pontifice editum Romæ est, diligenterque emendatum. Cæterum Pontificum præceptum de usu Decretalium *tam in Iudiciis, quam in scholis* præfixum tantum legitur Gregorii IX., ut diximus, Bonifacii VIII. et Clementis V. compilationibus.

CAPUT VI.

DE JURE NOVISSIMO.

Verum editis libris illis, quos hactenus recensuimus, novæ prodierunt, et quotidie in lucem prodeunt Summorum Pontificum constitutiones. Absolutæ sunt etiam, atque ad eum perductæ statum, in quo nunc sunt Regulæ Cancellariæ; habitum Concilium Tridentinum, quod non tantum Lutheri præsertim, et Calvini hæreses profligavit, sed multa etiam ecclesiasticæ disciplinæ capita constituit; denique plures etiam a Sacris Congregationibus Cardinalium, præsertim Concilii Tridentini Interpretum, declarationes emissæ sunt. Ex his omnibus conficitur ius novissimum, videlicet ius constitutum post evul-

gatos libros, quibus corpus iuris Canonici constare diximus.

Extat etiam Septimus Decretalium Liber sed *privato tantum studio* digestus a Petro Matthæo Lugdunensi Iurisconsulto; nec satis probatus eruditioribus. Utinam Septimus idem, quem Gregorius XIII. inceperat, Sixtus V. auxerat, Clemens VIII. absolverat, typisque mandaverat, esset huiusmodi, ut haberi facile posset in omnium Canonici Iuris studiosorum manibus (1).

Sunt igitur extra corpus Iuris Canonici, sed tamen ipsius Iuris partem efficiunt, posteriores Decretales Pontificum Romanorum, quæ *Bullæ* nuncupantur a *Bulla*, aut *Sigillo* vel plumbeo, vel aureo, quod una ex parte imagines exhibet Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, ex parte altera nomen Pontificis, pendetque ex funiculo, quod interdum sericum, interdum cannabis est (2).

(1) Postrema Collectio haec continens Pontificia iura et Conciliorum Decreta per tria propemodum saecula, miris elucubrata laboribus, anno 1598 fuit absoluta, ac typis mandata sub nomine Septimi Libri Decretalium Clementis VIII. Sed cum in ea haberentur etiam Tridentini canones et decreta, super quibus per Constitutionem Pii IV. an. 1564 incipientem *Benedictus Deus*, nemo ullum interpretationis genus edere potest, huius voluminis substitit publicatio· nam nulla aderat causa, cur permittendae non essent glossae, et commentarii, ut in superioribus Collectionibus, et id eidem Constitutioni penitus adversatur. Plura de hoc vide apud Fagnanum in *Cap. Cum Venissent de Iudiciis*.

(2) Bullarium a Leone Magno incohavit Laertius Cherubinus, quod opus eius filius, aliique prosequuti sunt. Sed caeteris anteponendus Hieronymus Mainardus Bullarii Magni collector, quod ad Clementem XII. perduxit, cui adiugendum Bullarium Benedicti XIV. in quatuor Tomos divisum. In Bullarum autem *Epitome* concinuanda palmam praeripuit caeteris Aloysius Guerra.

Bullæ a Brevibus distinguuntur I. quod hæc pro levioribus, illæ pro gravioribus plerumque negotiis dari solent; II. quod hæc Latino eleganti charactere, illæ charactere Longobardico, aut Teutonico scribuntur; III. Brevia per Cardinalem a secretis Brevium, Bullæ in Cancellaria Apostolica expediuntur; IV. Bullæ sigillum habent aureum, vel plumbeum pro ratione eorum, ad quos mittuntur; Brevia sigillum ceræ rubræ, in quo impressa est imago Sancti Petri piscationem exercentis, unde expediri dicuntur *sub annulo Piscatoris;* V. denique pro Bullis suboscuræ, crassioresque membranæ, pro Brevibus albæ, et subtiles adhibentur.

Regulæ Cancellariæ originem repetunt ab Ioanne XXII., qui primus scripto mandari voluit has leges; ut iis Apostolica Cancellaria regeretur. Nam antea non scriptis regulis, sed consuetudine, ac viva voce eius nogotia expediebantur. Consequentes Pontifices, ac præsertim Nicolaus V. varie auxerunt has regulas, easque perduxerunt ad eum statum, in quo nunc sunt. Hodie Cancellariæ Regulæ numerantur septuaginta duæ, in quas, præter cæteros, commentarios scripsit omnium uberrimos, atque accuratissimos, et quatuor tomis comprehensos Ioannes Baptista Rigantius.

Hæ regulæ vim obtinent, quamdiu sospes est Pontifex, a quo editæ sunt, atque ut convalescant,

probari, et confirmari debent, quod paulo post creationem ab unoquoque pontifice fieri solet.

Concilium Tridentinum indictum est a Paulo III., anno 1545, quo Pontifice decem habitæ sunt sessiones, octo nimirum Tridenti, et duæ Bononiæ, quò venerant Concilii Patres, fugientes contagionem, qua Tridentum premebatur. A Iulio III. Tridenti restauratum est, ac sex habitis sessionibus propter bella intermissum. Denique redintegratum est a Pio IV., novemque celebratis sessionibus, anno 1563 absolutum. Constat sessionibus vigintiquinque; habet unaquæque fere sessio partes duas, quarum una comprehendit capita, et canones, quibus damnantur hæreses, et catholicum dogma exponitur; altera, quæ inscribitur *de Reformatione*, habet decreta, quæ disciplinam respiciunt (3).

Denique ad Ius Canonicum pertinent etiam *declarationes sacrarum Congregationum* Cardinalium, quibus a Summo Pontifice certa negotia noscenda, ac definienda commissa sunt. Plúres hæ sunt (4), quarum sane maxima est vis, et auctoritas dum de iis

(3) Huius Concilii historiam docte, accurateque conscripsit Sfortia Pallavicinus Cardinalis. *Histor. Conc. Trident. contra Petri Suavis narrationem*. Adde Paulum Sarpium caute omnino, ab iis quibus licet, legendum.

(4) Aliae sunt Congregationes *ordinariæ*, perpetuo addictae certis negotiis expediendis, ut Congregationes *Indicis*, *Inquisitionis*, *Interpretationis Concilii*, *Sacrorum Rituum*, et de *negotiis Episcoporum et Regularium*; aliae *extraordinariae*, quae pro certis rebus praeter consuetudinem indici solent, quibus dissolutis dissolvuntur.

legitime constet, præsertim si Pontifice consulto ferantur.

Ex iis, quæ de Corpore Iuris Canonici Cap. V. disseruimus, nemo non intelligit desiderari adhuc Iuris Canonici prima elementa, quæ vim communis Legis habeant, Iustinianearum Institutionum ad exemplum. Celebratur tamen Pauli Lancellotti (5) methodus, qui Institutiones suas quatuor in libros tribuit, in quorum primo de Personis agit, in altero de rebus Ecclesiasticis. Et quoniam Iudicia facta hominum tam licita, quam illicita respiciunt, ideo in libro tertio *Civilia* iudicia, in quarto vero *Criminalia* persequitur; quam methodum nos quoque servabimus.

(5) *V.* Doujat *Prænot. Can. Lib.* 5. *Cap.* 8.

LIBER PRIMUS

TITULUS PRIMUS

De Personarum speciebus.

Ex tradita superius Ecclesiæ definitione consequitur, ad eam in primis non pertinere *Infideles*, qui Christo minime dedere nomen, adeoque positivis Ecclesiæ legibus non adstringi (1).

Fidelium autem personæ distinguuntur in *Laicos* sive Populares, a Græco λαὸς, idest Populus, et *Clericos* sive adscitos ad Divini ministerii sortem, a Græco κλῆρος, idest sors. His adiungendi sunt *Monachi*, et *Regulares*, quorum vitæ ratio media fere est inter Clericos et Laicos, ut suo loco videbimus.

Laicorum itaque nomine indicantur Christi fideles, qui licitis quibusque vitæ civilis negotiis vacantes, nec sacro funguntur publico ministerio, nec Regulari quavis professione obligantur.

Cunctis autem Laicis quædam *communia* sunt iura, et officia, veluti quod Sacramentorum omnium,

(1) Paul. ad Corinth. 1. C. 5. §. 12.

pro variis ipsorum conditionibus participes sint, universali gaudeant Ecclesiæ communione, precibus, sacrisque Cæremoniis, quæ publice in Ecclesia peraguntur, adesse; ac ejusmodi alia, quæ ad præcipuum Christianæ Religionis scopum assequendum conducunt, perficere possint. Quædam vero nonnullorum tantum propria censentur, veluti quæ de patronatu laico, de coniugibus, de cancellariis, aedituis, ac defensoribus, de sæcularibus congregationibus etc. statuta fuere.

Clerici sunt igitur, qui in sortem Domini vocati sacro quovis in Ecclesia munere, spirituali potestate, vel dignitate donantur, ac pluribus inter se gradibus distinguuntur: alii enim ad statum Clericalem tonsura initiati, alii minoribus in ordinibus constituti, alii in maioribus, aut sacris, alii præeminentia insigniti, alii iurisdictione, alii pluribus simul, et alii demum iis omnibus qualitatibus præditi sunt. Ab his igitur tamquam a dignioribus, exordiamur (2).

TITULUS II.

De Episcopis, Summo Pontifice etc.

Episcopus, sive Inspector, qui observandis, et corrigendis moribus fuit institutus, persona est

(2) V. Instit. Canon. Francisci Foggi Cl. in Acad. Pisan. Canon. Profess. *lib.* 1. *tit.* 5.

plenitudinem habens Sacerdotii, atque utpote in Apostolorum locum succedens, a Spiritu Sancto præposita Ecclesiæ sibi commissæ regimini, quam nunc Diœcesim dicimus; ex quo conficitur præcipuum esse Episcoporum munus verbi divini prædicationem, si legitime impediti non fuerint (3).

Omnis autem Episcoporum potestas dividitur in ea, quæ sunt *Ordinis*, in ea, quæ sunt *Iurisdictionis*, et in ea, quæ sunt *Legis Diœcesanæ*. Ab *ordine* manat Regum, Altarium, et Ecclesiæ consecratio; ejusque post pollutionem expiatio; Chrismatis, et Olei Catechumenorum et infirmorum confectio, et ordinaria Sacramenti Confirmationis administratio, Ordinum collatio, Virginum sacrarum lectio. *A Iurisdictione* venit facultas corrigendi, beneficia conferendi, execrandi, sive excomunicandi, examinandi, iudicandi, puniendi. *Ad legem Diœcesanam* ius exigendi Synodaticum, sive Cathedraticum, hoc est tributum in honorem Cathedræ Episcopalis præstandum (4): Item ius exigendi procurationem, census, quartam funeralium, quartam decimationum (5), quibus præstandis Monasteria non obligantur, ideoque a lege Diœcesana exempta dicuntur (6).

(3) *Conc. Trid. Sess. 5. Cap. 2. de reformat.*

(4) Benedict. XIV. *de Syn. Dioec. lib. 5. cap 7.*

(5) *Cap. Conquerente 16. Cap. Dilectus 18. de officio Iudic. ordin.*

(6) Sunt tamen aliqua quae jurisdictionis potestatem respiciunt

Et quoniam inter Civitates semper excelluerunt Metropoles, ideo Metropolitanus Episcopus minorum Civitatum Episcopis etiam antiquitus præferebatur. His autem eminentiores erant Episcopi illi, qui præerant Capitibus plurium Provinciarum; in quarum divisione Imperii Romani rationem Ecclesia plerumque complectebatur (7). Unde quia sub Romano Imperio Roma, Alexandria, Antiochia capita erant Regionum aliarum, ideo præter Romanum, qui a Christo impositus est omnibus, Alexandrinus Aegyptiacis, Antiochenus Asianis Episcopis præerant: ideoque hi tres ab initio Archiepiscopi vocabantnr, tamquam capita Episcoporum cæterorum. Postea vero Archiepiscopi nomen devenit ad Metropolitanos (8). Romanus vero, Alexandrinus, et Antiochenus nomen Patriarcharum susceperunt, quasi *Patrum Principes*. Quem Patriarcharum numerum auxit postea Hierosolymitanus, et ob honorem Imperatoriæ Sedis etiam Constantinopolitanus: quorum primum locum obtinet Romanus, secundum Constantinopolitanus, tertium Alexandrinus,

quaeque in loca, et personas exemptas interdum ab Episcopis exercentur, tamquam Apostolicae Sedis delegatis. V. Devoti *instit. Can. h. t.*

(7) Laurent. Salvag. Antiquit. Christ. *lib.* 1. *Cap.* 17. §. 24.

(8) Tres sunt in Etruria nostra Metropolitae, seu Archiepiscopi: Florentinus scilicet, Pisanus, et Senensis; quorum primus hanc dignitatem a Martino V. an. 1421 obtinuit; alter Pisanus nempe ab Urbano II. an. 1092; quod privilegium confirmationem accepit a Gelasio II. 1118. Senensis demum a Pio II. post Saeculi decimi quinti dimidium.

quartum Antiochenus, postremum Hierosolymitanus (9), qui proprie Patriarchæ dicuntur.

Alii autem his minores aliquando improprie Patriarchæ nuncupantur, aliquando Primates, quales sunt in Italia Gradensis, qui Sedem suam Venetias transtulit, et Pisanus; in Gallia vero habebantur Viennensis et Bituricensis, et Lugdunensis; in Germania Magdeburgensis; in Hispania Toletanus; in Anglia Eboracensis; in Pannonia Strigoniensis, quibus accessit auctoritate Pauli III. Patriarcha Indiarum.

Hæc habent præcipua quinque Patriarchæ: 1. Ut post Romanum Pontificem sedeant ordine dignitatis: 2. Ut Metropolitanis Pallium concedant, cum ipsi accipiant a Summo Pontifice: 3. Ut eis Crux præeat per omnem suum Patriarchatum, cum non occurrit Summus Pontifex, aut eius a latere Legatus: 4. Ut a suis Metropolitanis ad eos appelletur.

Quamvis igitur ordine omnes Episcopi exæquentur, gradu tamen dignitatis inter se, ac iurisdictione distinguuntur. Quilibet enim Episcopus ordinariam in Diœcesi sua iurisdictionem habet, a quo, si Suffraganeus sit, ad Metropolitanum appellatur,

(9) *Dist.* 22.*per tot. et Cap. Antiqua de privileg.* Hi quatuor Patriarchae dicuntur Orientales. Nam Europa, Affrica et America Romano Pontifici, tamquam Occidentis Patriarchae subiiciuntur. Summi Pontificis Patriarchatus longe distat a Primatu quem jure Divino habet in universa Ecclesia.

ab Archiepiscopo vel Metropolitano ad Patriarcham, a Patriarcha ad Summum Pontificem.

Summum et Episcopatus, et jurisdictionis Ecclesiasticæ Hierarchiæ culmen et fastigium, in Apostolica S. Petri Cathedra ex Christi institutione, semper tenuit antiquitas; et quemadmodum D. Petrus Apostolorum Princeps fuerat constitutus (10), ita Summus Pontifex est jure Divino *Ecclesiæ* caput, et centrum unitatis, Petri successor, Iesu Christi Vicarius, omnium Christianorum Pater, et Doctor, cui perpetuo inhæret Primatus non solum dignitatis, sed etiam jurisdictionis (11); et quamvis plura cum cæteris Episcopis habeat communia (quippe idem est Romanæ Diœceseos Episcopus) multa tamen ei competunt jura singularia, atque præcipua.

Pontifex igitur Leges Ecclesiasticas condit, quibus universa Ecclesia tenetur, et conditas, cum opus sit, relaxat, et poenis animadvertit in eos qui legibus non obtemperant: graviores Ecclesiæ causas judicat: quæstiones de fide definit, eiusque judicium est supremum in Ecclesia. Appellationes ex omnium temporum monumentis admittit, et sententias nullius appellationi subiectas pronun-

(10) *Can. Omnis. 1. et seqq. dist.* 22.

(11) Huc pertinet Concilii Florentini celeberrima definitio, tum pars formulae professionis fidei, quae jussu Pii IV. In bulla *Iniunctum* plerisque tam Clericis quam Laicis emittenda est, et jurejurando firmanda, quae ad calcem Tridentinae Sinodi legitur.

ciat. Pontifex dumtaxat generalem Episcoporum Synodum convocat, illi præest, eamque confirmat: creat, vel nominatos, vel electos confirmat Episcopos, eosque de una ad aliam transfert Ecclesiam: et ligitima accedente causa illos deponit, depositosque ad Sedem reducit. Breviarium et Missale corrigit, et mutat: Regulares Ordines approbat, et justis de causis e medio tollit, ac etiam restituit (12): summos pietate viros albo Beatorum, vel Sanctorum adscribit (13), et ubique terrarum Pontificalia solus exercet: alia præterea ei competunt jura, quæ suis locis indicare fas est.

Pontifices iamdiu creant Cardinales, qui Pontificium Senatum constituunt: dicti a cardinibus, quales vocabantur maiores Ecclesiæ, quibus præerant, ubi sub eorum cura locata erat administratio Sacramentorum. Eædemque Ecclesiæ, sive *Cardines* appellabantur *Tituli:* erantque partim Presbyterorum, unde Cardinales Presbyteri, partim Diaconorum,

(12) Vide Constitutionem *Sollicitudo* VII. idus Augusti 1814. Pii VII. P. M. pie, sobrie, ac feliciter Ecclesiam Dei hodie gubernatis.

(13) Primis Ecclesiae saeculis in Sanctorum numerum referebantur, qui heroica virtute claruissent, Episcopi, Metropolitani, vel Primatis auctoritate in suis Dioecesibus, causa cognita et probata, ut eruitur ex antiquis monumentis, et praesertim ex Divi Cypriani epistolis. Alexander III. Sedi Apostolicae hanc potestatem reservavit, et jure meritoque, cum antiquissima sit regula ad Apostolicae Sedis iudicium oportere deferri maiores causas. Prima canonizzatio tamen solemniter facta a Summo Pontifice, est illa in Romano Concilio Sancti Udalrici Episcopi Augustani, qui a Ioanne XV. sub finem decimi saeculi in Sanctorum numero relatus fuit.

qui opes administrabant, et negotia civilia gerebant, unde Cardinales Diaconi. Præterea ex Cardinalibus septem creabantur Episcopi, quibus tradebantur Episcopatus viciniores, qui tamquam Chorepiscopi erant Romani Pontificis, cui præcipuam opem in totius Ecclesiæ administratione præbebant. Erantque olim septem hi Episcopatus Cardinalium titulares, quia Episcopatus Sanctæ Rufinæ, nempe Silvæ Candidæ nondum cumulatus, sive, ut aiunt, unitus fuerat Episcopatui Portuensi, ideoque nunc sex recensentur finitimi Episcopatus, nempe *Hostiensis, Portuensis, Albanensis, Prænestinus, Sabinensis, Tusculanus.*

Crevit autem Cardinalium dignitas maxime postquam Nicolaus II. an. 1059 præcipuas eis partes in Romani Pontificis electione tradidit (14); adeo ut tandem reliquum Clerum excluserint: ac deinceps anteierint Episcopis, quibus initio non præferebantur: cum Cardinalatus non sit ordo Ecclesiasticus, sed ordini adiecta dignitas, et officium, quod merito supra cæteros emicuit, postquam maiora urbis negotia gerenda, et una cum Pontifice universalem Ecclesiam administrandam, illius mandato susceperint. Ornarunt vero plurimum Cardinales Innocentius IV. et Paulus II., quorum ille rubrum Galerum eis tradidit, iste vestem coccineam, sive

(14) *Can. in nomine Domini dist. 23. can. 1. dist. 79.*

purpuream lacernam, ut veteris Senatus maiestatem exhiberent; ab Urbano demum VIII. *Eminentissimorum* titulo aucti sunt.

Ius ferendi in Pontificia creatione suffragii Cardinales non habent, nisi Diaconatus ordinem acceperint, aut a Summo Pontifice nominatim facultatem eam impetrarint (15). Eorum a Sixto V. (16) præfinitus est numerus, ne septuaginta excedant: ex quibus quinquaginta oportet esse Presbyteros, Diaconos quatuordecim, Episcopos sex ex viciniorìbus, quos innuimus, Episcopatibus.

Cardinales cum in legationem abeunt, dicuntur *Legati a Latere*, quasi dimissi a Pontificis Latere, cui semper adhærere censentur, quorum in Provinciam adventu silet aliorum Legatorum potestas (17); ac tum facultatem habent absolvendi excomunicatos propter violationem Clericorum (18), et utuntur Apostolicis insignibus (19). Præterea potest Cardinalis Legatus vacantia beneficia conferre (20), etiam si ius sit patrono Clerico præsentare (21). Abstinendum ei tamen est a Prælaturis Cathedralium, et Collegiatarum Ecclesiarum; item et

(15) Praeter Pontificis electionem, plurima Cardinales decorant privilegia, de quibus vide Ferraris *in sua Biblioth.*
(16) *In Const. incip. postquam, et per aliam incip. Religiosa.*
(17) *Cap. Volentes de offic. legat.*
(18) *Cap. Excomunicatis* 9 *eod.*
(19) *Cap. Antiqua* 23. *de privileg.*
(20) *Cap. Officii de officio Legat. in* 6.
(21) *Cap. dilectus de offic. Legat.*

a dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium maioribus, quæ per electionem conferuntur; atque a translatione, unione, et divisione Episcopatuum (22).

Sunt etiam Legati *Missi*, non ex Cardinalium Collegio, et *Nuntii* nuncupantur, qui explicant in Provinciis, et Regnis Pontificiam iurisdictinem (23). Alii sunt legati, nati quorum dignitati Sedes Apostolica perpetuo munus legationis attexuit, quales sunt in Anglia Cantuariensis, Eboracensis; in Gallia Bituricensis; in Italia Pisanus, aliique. Sed quomodo ad Ecclesiasticas dignitates perveniatur, inquiramus.

TITULUS III.

De Electione etc. Tit. 6. Lib. I.

Electio est idoneæ personæ ad Ecclesiasticum Magistratum, aut dignitatem vacantem canonice facta vocatio. Ea proprie pertinet ad maiores Ecclesiæ Dignitates, ad Summum Pontificem, ad Episcopos, ad Prælatos sive sæculares, sive regulares, qui aliis præficiuntur.

(22) Haec quidem recte se habent iuxta ius Decretalium *Cap. penul. de offic. Legat. in 6. et Cap.* 3 *et* 4. *eod.*; verum tota legatorum potestas, et auctoritas, ad Pontificias litteras, et pacta conventa inter Sedem Apostolicam et Summos Principes exigenda est.

(23) *Cap.* 1. *de offic. Legat.*

Romanum Pontificem ab antiquis temporibus eligunt Cardinales, de quo multæ sunt editæ Constitutiones, quas servare oportet diligenter, ut res tanti momenti rite, recteque expediatur. In hac electione præcipua sunt, quod post soluta iusta funeri defuncti Pontificis per dies novem, Cardinales die decima Conclave ingrediuntur, posteaquam Missa Spiritus Sancti solemniter celebrata est. Postero autem die inchoatur electio, neque Cardinales, qui in Conclavi sunt, absentes expectare coguntur, neque absentibus licet suffragium suum alteri committere.

Cum electio fit per scrutinium (nam fieri potest etiam per compromissum, et quasi inspirationem, quos singulos eligendi modos paulo post explicabimus) non tantum *scrutinium*, sed etiam *accessus* adhibetur. Nimirum cum publicato scrutinio, nemo electus deprehenditur a duabus ex tribus eligentium partibus, quas postulat electio Summi Pontificis (1), novum in *accessu* suffragium ferre possunt Cardinales, et ita conficere iustum numerum suffragiorum, quo opus est, ut canonice electio absolvatur. Omnes, qui præsentes sunt, Cardinales, exceptis iis, quos diximus in Tit. 2, ius habent ferendi suffragii, neque repelli quis potest quod excomunicatus sit, suspensus, interdictus (2).

(1) *Cap Licet* de Elect.
(2) Vide Libellum cui Titulus: ***Cæremoniale electionis Roma-***

Initio Episcopos ab ipsis Apostolis constitutos legimus: at Apostolis vita functis, ius, et officium Petri successorum Romanorum Pontificum fuit providere, ne quid in re tanti momenti Christiana Respublica detrimenti caperet. Hinc lapsu temporis, constitutis Parœciis, ut dicebantur, seu Diœcesibus, factaque Provinciarum divisione, annuentibus Romanis Pontificibus, Episcoporum electio, ut commodius expediretur, Metropolitis, ac Provincialibus Synodis, commissa est.

Iam vero ad Clerum delatis Episcoporum electionibus, is porro eligebat, seu potius aliquem designabat, præsente, ac testimonium dicente populo, ne Episcopus daretur invitis, atque ut omnibus essent comperti mores eius, qui eligebatur. Præcipuæ tamen erant in electione partes Metropolitæ, et Episcoporum Provinciæ, qui proprie eligebant Episcopum, et qui suo lubitu reiiciebant postulatum, aut nominatum, ubi minus idoneus videretur. At Sæculo XII. ius eligendi Episcopos ad solos viduatæ Ecclesiæ Canonicos migravit, quod ius est Decretalium Gregorii IX. (3).

Tandem post Clementem V., Benedictum XII.,

ni Pontificis, ubi diligenter descripta sunt, quae pertinent ad Romani Pontificis electionem.

(3) Consule titulum Decretalium *de electione*. Illud tamen notandum est, quod in tanta disciplinae varietate, a quibuscumque perfecta esset Episcoporum electio, nil umquam detrahere potuit de iure Summorum Pontificum, a quorum concessionibus tota res semper manavit.

cæterosque Pontifices, Episcoporum electiones Sedi Apostolicæ reservatæ sunt, cum leges electionum fere ubique despicerentur, inque iis simonia, ambitio, studia partium, ac cætera huiusmodi dominarentur.

. Ob hanc rem turbæ in Ecclesia excitatæ, quas *Concordata* (ut vocant) sustulerunt, inter Sedem Apostolicam, Summosque Europæ Principes. Hinc Germania adhuc utitur in Electionibus communi jure ex pactis an. 1447 inter Nicolaum V. Pontificem, et Fridericum III. Imperatorem initis. In Gallia concordatum viguit inter Leonem X. et Franciscum Primum an. 1516, quo ad Regis nominationem, confirmationemque Pontificis Episcopi creabantur. Mitto cætera, nam nullus fere Princeps est, nulla Respublica, quæ per aliquod huiusmodi concordatum, sibi non prospexerit (4).

Electio canonica esse debet, ut vim habeat; atque ut canonica sit, duo præsertim spectare decet, primum qui eligere, alterum qui eligi possint. Omnibus, qui sunt e gremio Capituli, ius est eligendi, et cunctos, qui eo jure frui possunt, vocare decet (5), ne si aliquis prætermissus est, querelam proponat suam, ut electio irrita declaretur (6).

(4) Caeteri Praelati vel saeculares, vel regulares aut nominantur a Principibus, ut eos Pontifex confirmet, vel eliguntur a Collegio illorum, quibus praeficiuntur.
(5) Cap. *cum inter.* 18, *et coram* 35 *de Elect.*
(6) Dict. C. *cum inter de Elect.*

Absentes vocantur per literas, nisi in remotis locis commorentur (7); nemo invitus interesse cogitur electioni, et qui interesse nequit propter iustum impedimentum, recte suffragium suum committit uni ex Canonicis, vel etiam extraneo, si capitulum consenserit (8).

Carent eligendi iure furiosi et amentes, in sacris non constituti (9), suspensi, qui personali interdicto, aut majori excomunicatione tenentur (10), Canonici supra numerum carentes ætate, quam statuta postulant (11); denique prohibetur quis semetipsum eligere (12). Quidam etiam ad tempus amittunt eligendi potestatem, et hi sunt, qui inter eligentes laicorum suffragia admiserunt, quæ electio nullius momenti est (13); præterea negligentes eligere intra tempus a iure definitum, et canonicam in eligendo formam contemnentes, et indignum scienter eligentes. Quæ potestas, pro ea vice, qua ii diliquerunt, devolvitur ad reliquos Canonicos non delinquentes; et si omnes deliquerint, statim

(7) D. C. *cum inter*, *et* C. *Quod sicut de Elect.*

(8) Cap. *Quia propter* 42. §. *illud autem de Elect. et Cap. si quis de Elect. in* 6. ubi quod plures etiam constitui possunt procuratores, ut tamen unus eorum tantum suffragium ferat; et §. *Porro eodem*, quod procurator ad eligendum non debet dividere suffragia in diversos, sed utrumque in unum conferre, nisi ad certam personam eligendam specialiter fuerit constitutus.

(9) Clemen. 2. *de aet. et qualit. et ordin. praefic.*

(10) Cap. *Postulastis et* C. ult. *de Cler. excom. ministr.*

(11) Cap. *Ex eo* 32. *de Elect. in* 6.

(12) Cap. *per nostras* 26. *de iurepatron. et* C. *cum nostram* 7. *de instit.*

(13) Cap. *Quisquis* 43. *de Elect.*

delabitur ad summum Pontificem; si tantum neglexerint ad proximum superiorem (14).

Ut vero quis creetur Episcopus, exiguntur iusti, ac legitimi natales, et sana religio, et morum virtus, et idonea scientia, et Laurea sacræ Theologiæ, Iurisvè Canonici, aut publicum alicuius Academiæ testimonium, quo ad alios docendos idoneus ostendatur (15). Excluduntur ab Episcopatu minores annis triginta, irregulares omnes, criminosi, excomunicati, suspensi, interdicti; qui contra canonum decreta, pluribus fruitur beneficiis, quæ incompatibilia dicuntur, qui alium habet Episcopatum, nisi eo se abdicare paratus sit, qui saltem sex ante menses quam eligatur, sacros ordines non susceperit, denique qui scienter elegit indignum, eligi per triennium nequit (16).

Episcopi electio facienda est intra tres menses, ut plurimum in templo Cathedrali, et cum vacua est Ecclesia, adeo ut irritum sit quidquid, vivo Episcopo, gestum fuerit. Lapso hoc tempore, ius eligendi devolvitur ad proximum superiorem (17).

Tribus tantum modis Electio perficitur, *per Scrutinium, Compromissum, et quasi Inspirationem.*

(14) Cap. *cum inter*, *et* Cap. 18. *de Elect. in* 6.

(15) Concil. Tridentin. *Sess.* 22. *cap.* 2. *de reform.*

(16) Concil. Trid. *l. c. et. Sess.* 7. *c.* 1. *et* 2. *de refor.* et in Constit. *Onus Apostolicae* Gregorii XIV.

(17) *Cap.* 36. *et* 41. *de Elect. et C.* 3. *de supplend. neglig. Prael.*

Fit *Scrutinium*, electis tribus scrutatoribus, quorum est colligere suffragia singulorum, quæ certa, et vacua conditione, atque ambiguitate esse debent, eaque colligenda sunt *secreto*, ut plurimum in scriptis, *singillatim*, non a pluribus coniunctim, *iusto ordine*, ut scrutatores invicem a se ipsis suffragia excipiant, deinde a cæteris secundum ordinem, et prærogativam gradus, quem unusquisque obtinet, *diligenter*; ut vel ipsi, vel iis præsentibus tabellio in scriptum redigat suffragia singulorum, eaque mox publicent, hoc est patefaciant, ut electus censeatur in quem major, et sanior pars Capituli consensit (18).

Maior pars æstimatur, respectu habito ad omnes illos, qui electioni intersunt, et ideo si eorum collegium constet *ex. gr.* Canonicis quindecim, nemo rite electus habetur, nisi octo suffragia obtinuerit. Si desit iustus hic numerus suffragiorum, nihil agitur, sed electio consequenti die iteranda est, ac tamdiu repetenda, donec quis a maiori parte eligatur. Absoluta, et patefacta electione, conficitur decretum, cui subscribunt eligentes, quibus tunc omnis variandi potestas adimitur (19).

Alter modus eligendi est per *Compromissum*, quando a Capitulo, nemine dissentiente uni, vel pluribus etiam extra gremium Capituli existentibus

(18) *Dict. Cap. quia propter* 42. *de Elect.*
(19) *Cap.* 20. 21. *et* 48. *de Elect.*

Clericis, electio committitur. Potestas compromissariis data, re non integra, revocari nequit, et cum ii, servatis compromissi legibus, idoneum elegerunt, in eum consentire omnes debent, eumque habere Episcopi loco (20). Ita Clemente IV. vita functo, an. 1268, ne diutius Romana sedes vacaret, per viam compromissi in sex Cardinales facti, suadente maxime Sancto Bonaventura, electus est an. 1271 Gregorius X. extra Collegium Cardinalium, tumque absens, qui in Lugdunensi Concilio an. 1274 celeberrimam Constitutionem edidit de Conclavi, relatam in Cap. *ubi periculum* 3. *de Electione in* 6.

Denique *per quasi inspirationem* electio absolvitur, cum electores omnes quasi divino spiritu afflati in eum repente feruntur, de quo antea vix cogitaverant.

Electio rite absoluta, electo mox offerenda est, eiusque consensus petendus, quem intra mensem, ne cadat iure suo debet emittere, et præterea inter menses tres a superiore petenda est confirmatio. Sed Episcopi, et cæteri qui a Summo Pontifice confirmandi sunt, intra mensem iter arripere debent ad Sedem Apostolicam, et ab ea petere confirmationem, vel per se ipsos, vel per idoneum procuratorem, sumpto tempore ad itineris longinquitatem necessario (21).

(20) Cap. 8. 30. 32. *et* 42. *de Election.*
(21) Cap. 6. *et* 16. *de Elect. in 6. et Clement.* 2. §. *ultim. eod.*

Olim cum Metropolitani confirmationi statim consecratio adiungeretur, vix una ab altera distinguebatur. Nunc primum Epicopi ab aliis electi, aut nominati, a Summo Pontifice confirmantur, postea eorum consecratio perficitur, per quam potestatem ordinis consequuntur. Cum extra Curiam Romanam electi mores, et cætera scitu necessaria expenduntur (22), *processus* conficitur vel a Nuntio Apostolico, vel ab Ordinario, vel si hic desit, a vicinioribus ordinariis, et inde ad Urbem transmittitur, ubi, cunctis diligentissime perpensis, in Consistorio refertur ad Summum Pontificem, quæ *præconizatio* dicitur, deinde in altero Consistorio iudicium fertur, quæ dicitur *propositio*, quam statim sequitur decretum, quod consultis Cardinalibus a Summo Pontifice emittitur. Episcopi Italiæ, atque Insularum adiacentium, coram Summo Pontifice a Cardinalibus, Prælatis, atque aliis Sacræ Theologiæ, et Iuris Canonici peritis viris diligenti, atque improviso examine probantur, eorumque processus in Urbe conficitur, antequam Episcopatum obtineant (23).

(22) Concili Trident. *Sess.* 22. *Cap.* 2. *et Sess.* 24. *Cap.* 1. *de refor.*

(23) Hoc examen subire tenentur omnes etiam insigni, ac explorata praediti literatura, nec non Episcoporum examinatores; ab eo tamen tantummodo excipiuntur S. R. E. Cardinales. Vid. Fagnanum in Cap. *Nisi cum pridem de renunciat. num.* 62. *et* 63. V. etiam cit. Constit. *Onus Apostolicae*, et instructionem editam an. 1627 ab Urbano VIII. ubi etiam traditur ratio, quam servare oportet, cum regulares Episcopatum consequuntur.

TITULUS IV.

De Postulatione Prælatorum Tit. 5. Lib. 1.

Cum aliquis eligendus est, qui canonico impedimento laborat, ita ut eius electio rata firma haberi non possit, rogare oportet eum, cui ius est dandæ veniæ, ut vitium illud, et impedimentum removeat. Quod fit per *postulationem*, quæ est *petitio a collegio Electorum apud maiorem Potestatem facta eius, qui ob aliquod canonicum impedimentum eligi non potest;* ea vero respicere debet dumtaxat illos, quorum tolli impedimentum solet, et potest; cæteri inutiliter postulantur (1). Illi autem, quibus venia hæc concedi solet, sunt: minor 30 annis (2), Laicus (3), in minoribus ordinibus dumtaxat constitutus (4), et natus ex illegitimo matrimonio (5). Episcopus item Ecclesiæ sponsæ suæ quodam spiritualis cognationis vinculo coniunctus, ad aliam electionis jure transire non potest, nisi per postulationem tale vinculum auferatur (6). Hæc

(1) Cap. 1. *de Postulat.*
(2) Cap. unic. *h. t. inter Communes.*
(3) Can. Osius 10. *et ibi* §. *Sed aliud dist.* 61, Fagnan. in Cap. Bonae memoriae *de Post.* n. 71. et 72.
(4) Cap. Cupientes 16. §. *Denique eod. in* 6. Et Lancellot. *instit. h. t.* §. *Ex hoc.* 2.
(5) Cap. Innotuit 20. *de Elect.* Cap. Nisi cum 10. § *Personae de Renunciat.*
(6) Cap. Etsi *ultim.* h. t.

tamen juris dispositio in Abbatibus, cæterisque infra Episcopalem dignitatem constitutis (7), locum non habet; quamquam enim et hi propriis Ecclesiis alligari videantur, attamen sine postulatione, et solo electionis jure primam deserere, et ad aliam transire possunt.

Differt ab electione postulatio; quod hæc gratiæ innititur, illa iuri; hæc Superiori offertur, qui idoneus non est, ut ab eo vitium et impedimentum avertat, illa, qui est idoneus, ut electus confirmetur; in electione, quæ rite facta est, electores consilium mutare non possunt (8); possunt tamen in postulatione, antequam ea Superiori offeratur (9); electus consentire in suam electionem potest, postulatus non potest, nisi sub conditione, si eadem rata habeatur; denique electio a maiori suffragiorum parte perficitur, postulatio, ut probetur, duas saltem eorum partes desiderat (10).

In cæteris eadem est electionis, et postulationis ratio, et qui eligendi, ii etiam postulandi ius habent. Præstat tamen electio postulationi, et ideo si pars Capituli aliquem elegerit, pars vero postu-

(7) Cap. Quorundam 24. Cap. Si Abbatem 36. Cap. Nullus Religiosus 28. *de Elect. in 6.*, ubi statuit Pontifex, nullum Religiosum ad Abbatiam, seu Praelaturam suae, vel alterius religionis eligi posse, nisi antea fuerit ordinem regularem expresse professus.

(8) Cap. 58. *de Elect.*

(9) Cap. 4. *de Postulat.*

(10) Cap 3. *eod.*

laverit, tum postulatio electioni præfertur, cum postulantium numerus duplo maior est numero eligentium (11). Postulatio autem, ut electio, examinanda est, et postulantes adire debent Superiorem, qui ius habet confirmandæ electionis; sed hodie generatim omnes, quibus vel ætas, vel aliús Episcopatus, vel quidvis aliud impedimento est, quominus eligi possint a sede Apostolica veniam, sive, ut pragmatici vocant, *indultum eligibilitatis* impetrare solent.

TITULUS V.

De Consecratione Episcoporum Tit. 15. Lib. 1.

Episcoporum consecratio est *sacer quidam ritus, quo electi, ac rite confirmati Episcopi potestatem ordinis, ac Sacerdotii plenitudinem consequuntur*.

Consecratio autem hæc manibus impositis, et Divino invocato Spiritu maxime perficitur; quamquam et alii ab Ecclesia ritus, ac cæremoniæ adhibeantur (1). Nam recitatis initio literis Cancellariæ Apostolicæ de collato Episcopatu, consecrandus præstare debet Romano Pontifici iuramentum obedien-

(11) Cap. 40. *de Elect.*

(1) Vide Pontificale Romanum Tit. 13. de Consecratione electi in Episcopum; et Can. Concilii Carthaginensis IV. a Gratiano relatum in Can. 7. dist. 23., ex quo hodierna Consecrationis forma profluxit.

tiæ, et fidelitatis conceptum verbis S. Gregorii VII. (2); deinde examen conficitur; super electi humeros, atque cervicem imponuntur codices Evangeliorum, recitantur preces, funditur benedictio, caput, et manus sacro chrismate unguntur; tum benedicuntur (nisi hæc omnia primum benedicta fuerint) baculus pastoralis, annulus, mitra, chirothecæ (3). Accipit etiam Episcopus, priusquam consecretur, crucem, quam ante pectus gestat.

Olim Episcopum Metropolita consecrabat, Metropolitam senior Episcopus Proviciæ, cæteris tamen utriusque consecrationis causa ad Synodum vocatis, atque in principe vacantis Ecclesiæ templo congregatis. Ibi enim coram populo, atque clero consecrationem absolvere oportebat. Hodie posteaquam Summo Pontifici sunt reservatæ Ecclesiæ Cathedrales, vel ab ipso, vel eius mandato fiunt Episcoporum consecrationes. Episcopi, qui Romæ consecrationem accipiunt, aut ab aliquo Cardinali, aut ab aliquo ex quatuor maioribus Patriarchis, qui in Urbe commorantur, mandato Summi Pontificis consecrandi sunt. Cæteri vero Episcopi, qui extra Urbem consecrantur, suo arbitrio Episcopum eligunt, cui datur mandatum Apostolicum, ut eorum

(2) Forma haec iuramenti habetur in Cap. *Ego* de *iureiur.*, eaque comprehenditur septem articulis, quibus nunc duo alii addnntur, ut habetur in citato *Pontif. Roman.*

(3) De origine Pastoralium insignium consule Joan. Devot. *instit. h. t. in notis.* et *Macri Hierolexicon*, suis locis, ubi plura.

consecrationem absolvat, vel in ipsa, cui præesse debent, Ecclesia, vel saltem in Provincia (4).

Tres adhibentur Episcopi in consecratione (5); ea peragenda est die dominico post actum superiori Sabbato ieiunium, effusasque preces, hora tertia, qua scimus, Spiritum Sanctum e cœlo in Apostolos delapsum. Tempus consecrationi præfinitum est trium mensium, quibus elapsis, si Episcopus consecrari neglexerit, perceptos fructus amittet, atque etiam Ecclesia privabitur, si tres alios ultra menses consecrationem protraxerit. Consecratus vero acquirit ordinis potestatem, quam tamen Metropolita, et Patriarcha solum post acceptum pallium exercere possunt; eius matrimonium cum Ecclesia *consummatum* efficitur; et vacant beneficia, quibus ipse antea fruebatur.

TITULUS VI.

De auctoritate, et usu Pallii Tit. 8. Lib. 1.

Pallium, cuius incerta origo (alii enim ab Imperatorum pietate eam repetunt, alii, non impari eruditione viri ab ipsis Pontificibus excogitatum illud

(4) Consule Bened. XIV. in Constit. *In prostremo* 64. §. 16. tom. 4. eius Bullar. et citat. Pontifical Rom. tit. 13 §. 2.

(5) A Cl. Ioan. Devoti *h. t.* defenditur illorum opinio, qui consecrationem ab uno Episcopo absolutam, tantum illicitam, non tamen irritam putant. Vid. Benedictum XIV. *de Synod. dioeces. lib.* 13 *cap.* 13, *et seqq.*

volunt, ut ornamento aliquo a cæteris clericis Archiepiscopi secernerentur) est *fascia lanea candida, tres circiter digitos lata, in modum circuli contexta, quæ humeros cingit, habetque ab utraque parte lineas in pectus, et humeros impendentes cum sex sericis nigrisque crucibus intextis, tribusque aciculis aureis consuitur, et alligatur*. Sumitur ex altari, ubi conditum est B. Petri corpus, idcirco ex eodem Petri corpore sumptum dicitur, ac per ipsum plenior Patriarcharum, et Metropolitarum potestas designatur. Olim a Sede Apostolica suis Vicariis, ut plurimum, tribuebatur; nunc ab ea datur omnibus Patriarchis, et Metropolitis (1).

Solus Romanus Pontifex, cuius potestas nullam habet definitam regionem, cuius terminis septa teneatur, pallio ubique utitur, et semper; cæteri nonnisi intra fines suæ iurisdictionis, et statis, certisque diebus, cum Pontificalia conficiunt; qui in Pontificali Romano indicantur.

Pallio ita est adiunctum munus Archiepiscopale, ut eo nondum accepto, ne Archiepiscopi quidem nomen quis mereatur, neque Synodum provincialem indicere possit, neque chrisma conficere, neque Episcopos consecrare, neque alia obire munera sive Metropolitica, sive Episcopalia. Petendum

(1) Vid. Constitut. *Rerum Ecclesiasticarum* Benedicti XIV. in eius bullar. ubi multa habentur de pallio, quae ad recentem pertinent disciplinam.

est intra tres menses ab exacta consecratione, et quidem enixis precibus, sive, ut in more est, *instanter*, *instantius*, *instantissime*, a Summo Pontifice in Consistorio Cardinalium; petit per se ipsum, si in Urbe sit, Archiepiscopus; si absit, per Procuratorem. Antequam detur, exigitur iuramentum fidei, et obedientiæ erga Summum Pontificem (2): præsenti in Urbe datur a primo Diacono Cardinali, absenti ab aliquo Archiepiscopo, cui summus Pontifex rem commisit (3).

Ita autem pallium adhæret personæ Archiepiscopi, ut neqne alteri commodari possit, et secundum, ac tertium petendum sit, si quis iterum ac tertio Ecclesiam mutet. Denique ubi Archiepiscopus sepelitur, cum eo simul pallium, vel pallia, si plura accepit, humanda sunt. Singulari privilegio Cardinalis Episcopus Ostiensis, cum Romanum Pontificem consecrat, pallio utitur, et beneficio etiam Sedis Apostolicæ quibusdam Episcopis pallii usus concessus est (4), ut in Etruria nostra a Clemente XII. Aretino Episcopo.

(2) Formulam iuramenti, quod absentis Archiepiscopi Procurator praestare debet habes in *cit. Constit. Rerum Ecclesiasticarum* Benedicti XIV.

(3) *Can.* 1. *et* 2. *distin.* 100. et in Pontific. Roman. *titul. de Pallio*.

(4) Episcopum pallii privilegio a Sede Apostolica insignitum, posse quidem, ante huius receptionem suam synodum habere, tenet Benedictus XIV. *de synod. dioec. Lib.* 2. *cap.* 6. Vid. insuper *cap. quod sicut* 28 *de elect. etc.* §. *Super eo*, ubi etiam quod solus Romanus pontifex, qui ante hymnum angelicum consecratur, *in die consecrationis suæ* valet ordines celebrare.

TITULUS VII.

De Coadiutoribus Tit. 28. Lib. 1.

Pergimus ad reliquos Magistratus, atque ad Ministros, quorum est Episcopis in dioeceseos regimine opitulari. Sit initium a Coadiutoribus. Senio, aut mala valetudine confectos Episcopos, aliosque Ecclesiæ ministros de gradu dimovere iniustum, atque inhumanum visum est. Ergo ab antiquis temporibus instituti sunt Coadiutores, qui impedito Antistiti subsidium compararent, eiusque vicem sustinerent. Illustria sunt huius rei exempla duo apud veteres; alterum scilicet præbet Hierosolymitana Ecclesia, ubi Narcisso 120 annorum Episcopo, Coadiutor accessit Alexander, alterum est in Valerio Hipponensi Episcopo, qui Coadiutorem habuit egregium Ecclesiæ Patrem Augustinum.

Dantur Coadiutores vel *ad tempus* quandiu scilicet vitæ usura fruitur Prælatus, quem vis adversa morbi, aut senectutis suum munus exercere vetat; vel *perpetuo,* qui nimirùm mortuo succedunt. Uterque coadiutor Episcopis nonnisi a Summo Pontifice dandus est; cæteris beneficiorum Rectoribus

etiam Episcopus Coadiutores ad tempus constituit (1).

Nunc, qui Episcopis dantur Coadiutores sine iure futuræ successionis, dicuntur *Suffraganei*, quales habet Cardinalis Episcopus Ostiensis, atque Episcopus Sabinus, aliique præsertim in Germania Episcopi, quorum dioeceses tam late patent, ut his adiutoribus opus habeant ad Episcopale munus recte exercendum. Hi sunt Episcopi insigniti titulo *in partibus infidelium*, uti sunt etiam Episcopi coadiutores, qui ius habent succedendi. Utrique enim decorantur ordine Episcopali, ut ea peragant, quæ huius ordinis propria sunt (2).

TITULUS VIII.

De Prælatis inferioribus.

Ut Chorepiscopos seu rurales Episcopos missos faciamus, quorum ordo medio saeculo decimo iustis

(1) Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 3. *et* 7. *de Reform.*

(2) Ad florentissimas olim Episcopales sedes, ubi nunc iufideles morantur, ne antiquae illarum dignitatis memoria deleretur, iamdiu Pontifices Episcopos creant, ea de causa *in partibus infidelium* nuncupatos, vel *Titulares*, quia ad earumdem titulum consecrantur: et quamvis subditis careant, tamen exercere possunt iurisdictionem, si infedeles illarum dioecesium ad fidem convertantur, vel si in iisdem fideles aliqui degant. Benedictus XIV. *de syn. diœces. lib.* 13. *cap.* 14. *et lib.* 2. *cap.* 7. Titularium Episcoporum originem, tenet Ioan. Devoti *Inst. tit.* 3. *Sect.* 3. §. 35. repetendam esse ab *Episcopis Gentium*, quos olim ordinabat Sedes Apostolica, ut mitteret ad Gentes in Christiana Religione instituendas.

ex causis penitus extinctus est (1), animadvertendum est medium tenere locum inter Episcopos, atque Presbyteros Prælatos inferiores, nimirum Antistites, qui expertes ordinis episcopalis, in sibi subiectas Ecclesias, atque personas iurisdictionem exercent. Non idem omnium eorum Prælatorum gradus, neque eadem ratio est. Nam alii sunt ab Episcopi potestate subtracti, qui certo præsunt generi personarum intra septa alicuius Ecclesiæ, aut Monasterii, vel Conventus existentium, quales sunt superiores regulares, et nonnulli Prælati sæculares, qui immediate subsunt Sedi Apostolicæ una cum Ecclesia, eiusque Clericis, atque ministris, quibus præfecti sunt. Alii præsident Clero, et populo alicuius regionis, quæ tametsi ab Episcopi potestate subtracta sit, tamen sedet in illius dioecesi, a qua undique circumscribitur. Alii denique propriam habent quasi dioecesim a cuiusvis Episcopi dioecesi avulsam, et separatam, in qua iurisdictionem obtinent quasi Episcopalem (2).

Omnium nobilissimi sunt Prælati, qui separatam quasi dioecesim habent; nam hi proprie, et vere *Prælati nullius* dicuntur, atque inter Ordinarios recensentur. Cæteri exempti quidem sunt ab Episcopi iurisdictione, sed nullam habent quasi dioecesim ab illius dioecesi distinctam, in qua ordina-

(1) Benedictus XIV l. c. *lib.* 3. *cap.* 3. §. 6.
(2) Benedict. XIV. *l. c. lib.* 2. *cap.* 11.

riam iurisdictionem exerceant (3). Itaque *Prælati nullius* minus proprie vocari possunt, cum revera in Episcopi dioecesi sint.

Prælati inferiores vel sæculares sunt, vel regulares; alii beneficio Sedis Apostolicæ habent usum Pontificalium, alii vero non habent. Omnium potestas oritur vel ex privilegiis Summorum Pontificum, vel ex præscriptione, quæ hominum memoriam superat. Quare et amplior, et angustior est, uti ferunt leges privilegii, vel consuetudinis, unde procedit. Generatim Abbates regulares, qui in Sacerdotio sunt, et solemnem ab Episcopo benedictionem acceperunt, suis subditis regularibus pro iure suo primam tonsuram, et minores ordines conferunt, reliqui vero expresso privilegio opus habent (4).

Quod vero attinet ad iurisdictionem quasi Episcopalem, multa sunt, quæ Prælati inferiores, etiam cum discretam, et separatam quasi diœcesim habent, exercere non possunt, quamquam in ipsa iurisdictione insita, et affixa videantur. Principio vetantur indicere, et habere synodum diœcesanam, nisi expressam ea de re facultatem a Summo Pontifice impetraverint, eaque semper usi fuerint; et simili modo vetantur etiam eligere examinatores ad

(3) Benedict XIV. in Costit. *Apostolicae*, et Constit. *Inter multa*, ejus *Bullar*.
(4) Concil. Trid. *Sess.* 23. *Cap.* 10.

parochiales Ecclesias per solemne examen conferendas (5). Hinc vicinior Episcopus in quasi dioecesi, quae *nullius* revera est, et Episcopus dioecesanus in Ecclesia exempta, quae sedet intra fines suae dioeceseos, parochias confert, servata lege concursus, quae a Concilio Tridentino constituta est. Par est ratio literarum dimissorialium, quas illi dare nequeunt saecularibus sibi subditis pro ordinibus suscipiendis; cum horum omnium ordinationes pertineant vel ad viciniorem Episcopum, si Praelatus quasi dioecesim separatam habeat, vel si Ecclesia exempta sit, ad Episcopum, cuius dioecesi continetur (6). De causis vero criminalibus, et matrimonialibus recte iudicant Praelati, quibus sua quasi dioecesis separata est; non item Praelati exempti, nisi hoc privilegium obtinuerint vel a Summo Pontifice, vel per praescriptionem, quae ultra hominum memoriam est.

TITULUS IX.

De Clericis, qui sunt in sacris vel maioribus ordinibus constituti.

Hierarchiam divinitus institutam persequamur; in qua post Episcopos eminent Presbyteri, septuagin-

(5) Benedict. XIV. de Syn. Dioec. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 6. *et* 7.
(6) Concil Trid. l. c.

ta duorum Discipulorum, vel septuaginta Seniorum Mosaicæ legis speciem præseferentes, quibus antiquitus Ecclesiæ cuiusque Senatus constituebatur.

Presbyterum oportet (ut habet Pontificale Romanum) *offerre*, *benedicere*, *præesse*, *prædicare*, *baptizare*. Iisdem ad postremam manuum impositionem dicitur ab Episcopo Christi verbis: *accipite Spiritum Sanctum*, *quorum remiseritis peccata*, *remittuntur eis*, *quorum retinueritis*, *retenta sunt*.

Offerre est sacrum facere, hoc est Missam celebrare: quod primis sæculis Presbyteri non nisi vel deficiente Episcopo, vel mandante, peregerunt.

Benedicere est preces solemnes diversis benedictionibus aptatas concipere, veluti fontium tempore paschali, et pentecostali, aquæ lustricæ, panis missatici, primitiarum fructuum, thori genialis, fœminarum e puerperio prodeuntium, aliarumque rerum, quæ in Rituali Romano recensentur (1).

Præesse est moderari conventibus sacris, omniumque nomine orare. Huc pertinent sepulturæ, aliæque pompæ solemnes, quarum semper Presbyter est antesignanus. Item ius consulendi Episcopo, ius suffragii in iudiciis ecclesiasticis, ius decernendi nomine Episcopi. Antiquis enim temporibus

(1) Benedictionis duplex est genus: *solemnis*, Episcoporum tantummodo propria; *simplex*, quam etiam Presbyteri emittunt. *Can.* Dictum est 97. *Caus. I. Quaest. I.*, *Cap.* 3. *ibique glossa de privileg.* in *VI.*

ubique Presbyteri veluti *senatum Ecclesiasticum* constituerunt.

Prædicare principio Presbyteris insolitum, quod Episcopi populum docerent. Sed inde ab ultimis IV. sæculis plurimi Presbyteri, præsertim ex ordinibus Regularium, hoc sibi veluti præcipuum sumpsere, ut in omnis generis Ecclesiis, quoties appellarentur, prædicarent; quum olim pastores ordinarii hoc munere fungerentur.

Baptizandi vocabulo omnium Sacramentorum administratio involvi videtur. Nam hæc Presbyteris permissa est, duobus exceptis, ac Episcopo reservatis. Pœnitentiam iniungere non possunt, nisi qui ab Episcopo speciatim veniam habent. Extrema unctio, et benedictio nuptialis sunt pastoris loci, nec non Baptismus solemnis: de quibus iterum alibi.

Presbyteris minores gradu sunt Diaconi. Diaconus est idem, ac latine minister: quia olim non modo rei sacræ, sed et civilibus Ecclesiæ negotiis vacabant, instituti ab Apostolis (2), ut in eos deponerent rerum temporalium curam: ideo priscis

(2) Act. Apostol. C. 6. ubi per verba *ministrare mensis* designari quoque Eucharistiae dispensationem Diaconis ab Apostolis concedi, tradunt Patres apud Cl. Antonium Martini Ecclesiae Florentinae jam Antistitem pientissimum in hunc locum. Olim Diaconorum etiam erat oblationes accipere, nomina offerentium, et sacra diptyca in Ecclesia recitare. In diptycis, sive sacris tabulis describebantur nomina viventium, et mortuorum, qui caeteris praestarent nobilitate, virtute, vel dignitate.

temporibus in singulis Urbibus creabantur septem, quia totidem Apostoli Hierosolymis creaverant (3); nostris autem temporibus ministeriis tantum sacris adscribuntur, Sacerdoti sacrificanti, vel alia Sacramenta administranti operam præbentes, et in Missæ sacrificio Evangelium recitantes (4), urgenteque necessitate baptizandi, Eucharistiæque administrandæ curam suscipientes (5).

His veluti subsidiarii accesserunt Subdiaconi, quorum est munus Diacono ad Altaria subservire, sacra lintea, vasa, panem, et vinum ad usum Sacrificii necessaria præparare, Episcopo, et Sacerdoti manus Sacrificio abluentibus aquam effundere, in Missa Epistolam recitare, strepitum, dum Sacra celebrantur, ab Ecclesia prohibere (6).

Sacros autem hos ordines dicimus, et maiores, quod eorum opera in Missæ sacrificio, plus minusve, versetur, tum quod, si de Sacerdotio, et Diaconatu sermo sit, intra santuarii septa primitus ii tantum ordines conferrentur. Cæterum Subdiaconatus adhuc in Orientali Ecclesia minoribus ordinibus accensetur, et in Occidente sæculo fere XII. inter maiores ordines numerari cœpit, ut vel tantum Subdiaconus in Episcopum eligeretur (7).

(3) *Can.* 11. 12. et 25. *dist.* 93.
(4) *Can.* 1. *dist.* 25. *vers. ad Diaconum.*
(5) Vid. Pontific. Roman.
(6) Cathechism. *de Sacram. ord. n.* 37.
(7) Diserte Ioan. Devoti *instit.* h. t. demonstrat subdiaconatum

Aetas ad sacros ordines varia olim fuit: verum a Tridentina Synodo statutum est, ut Subdiaconi vigesimum secundum ætatis annum attigerint, Diaconi vigesimum tertium, Presbyteri vigesimum quintum (8).

Præterea publice in fidelium conventu sunt denunciandi, ut si quod sacræ ordinationi obsit impedimentum, facilius detegatur. In omnibus pariter ea literarum scientia, rerumque sacrarum cognitio requiritur, quæ par sit ad rite obeundum cuiusque ordinis munus, quod per examen Episcopi, probatorumque ei virorum explorabitur. Debet etiam quisque in unoquoque sacrorum ordinum exercitio per annum versari, nisi aliter pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ suæ Episcopo videatur, quæ tempora *interstitia* dicuntur.

Accedit, quod his omnibus iniuncta sit cælibatus lex ab antiquissimis usque temporibus (9); qua

inter minores ordines jam tum recensitum, cum Urbanus II. Pontifex fuit renunciatus; et ab eodem Pontifice deinceps inter maiores fuisse relatum; sic tollitur antinomia inter Can. Nullus 4. dist. 60, ubi Urbanus idem sic loquitur: *sacros autem ordines dicimus Diaconatum, et Presbyteratum etc.*, et Cap. *A multis de aetat. et qual. et ord. praefic.*, in quo Innocentius III. memorat eiusdem Urbani II. alterum decretum, quo subdiaconatus in maiores ordines adsciscitur.

(8) Concil. Trident. *ses.* 23. *cap* 12. *de reform.*

(9) Antiquissimam in Ecclesia fuisse legem continentiae etiam pro subdiaconis, clare colligitur ex Sanctorum Patrum scriptis, et praesertim ex Hieronymo Chrisostomo, et Epiphanio, qui haeresi 59. num. 4. id aperte testatur. Haec lex in desuetudinem abiit apud nonnullas potissimum Graecorum Ecclesias: at haec consuetudo corruptela ibidem ab Epiphanio vocatur. Quae autem in Conci-

fit ut nullum sit matrimonium, quod a Clerico in sacris constituto contrahitur (10). Et quoniam absolutissimam hanc continentiam in sacra ordinatione, facto ipso palam ad subdiaconatum promovendi, ab Episcopo admoniti profitentur; hinc fit, ut a Bonifacio VIII. (11) professio hæc solemne votum declaretur.

Denique ne Clericus cum ordinis dedecore, aut turpem quæstum exercere, aut mendicare cogatur, requiritur ad subdiaconatus ordinem rite suscipiendum Titulus vel *beneficii*, vel in subsidium *pensionis* vel *patrimonii*, vel quoad regulares ex ordinibus mendicantium religiosæ *paupertatis*, vel demum ex privilegio aliquo Pontificio, præstitæ Ecclesiæ alicui *servitutis* (12).

Patrimonium autem immobilibus constare debet, neque alienari postea, neque ullis oneribus subiici potest, quod et de beneficio dicendum est; adeo ut si quis beneficium resignet, ad cuius titulum fuerit promotus, quin huius rei mentionem faciat, et con-

lio Quinl-sexto apud Trullum an. 692 circa caelibatum statuta fuerunt, minime ab Ecclesia catholica sunt approbata. Cum igitur hic abusus in nonnullis irrepsisset Ecclesiis, S. Gregorius Papa praecepit, ut deinceps *nullum Episcopi Subdiaconum facere praesumerent, nisi qui se victurum caste promisisset*. Haec verba relata sunt ab Innocentio III. in citat. *Cap. A multis, de aetat et qualit. etc.* Constat vero hanc legem generalem, ac firmam inter latinos fuisse, cum ad majorem ordinem subdiaconatus evectus est.

(10) Concil. Trident. *de matrimon.*

(11 Cap. unic. *de voto, et voti redemp. in 6.*

(12) Concil. Trident. *Sess.* 21. *Cap.* 2. *de reform.* et Benedict. XIV. de Synod. Dioeces. l. 12. *Cap.* 9. atque alibi.

stet eum aliunde vivere commode posse, resignatio et admitti nequeat, et nulla sit (13).

De Fœminis, quæ olim aut Presbyteræ, aut Diaconissæ dicebantur, non est cur dicamus, cum eædem iamdiu exoleverint (14).

TITULUS X.

De Clericis minoribus.

Minores Clerici, qui ex Tridentina Synodo (1) nunc habentur in Occidentali Ecclesia sunt vel Acolythi, vel Exorcistæ, vel Lectores, vel Ostiarii; qui sunt infimo gradu constituti (2).

Hi omnes primum *Tonsura* initiantur, quæ *sacra quædam cæremonia est in capillorum tonsione consistens adiunctis precibus, per quam quis in Clerum adscitus privilegia Sacrorum Ministrorum communia consequitur*. Verum nullum tonsuratis tantum Clericis iniunctum est peculiare in Ecclesia offi-

(13) Conc. Trid. l. c.

(14) Videndi sunt Ieveninus, Selvagius, Morinus, Mamachius etc. Illud tantum juvat animadvertere, Diaconissas nullum ecclesiasticum ordinem habuisse, ad quem suscipiendum mulieres aptae non sunt, sed merum tantummodo ministerium.

(1) *Sess.* 23 *Cap.* 2.

(2) Ecclesia Graeca pluribus ab hinc saeculis inter ordines minores tantum *Subdiaconatum*, et *Lectoratum* agnoscit: sed antiquitus, dempto Acolytatu, quem nunquam habuit, praeter ordines minores Ecclesiae latinae, habebat etiam *Cantores*, *Laborantes*, *seu fossarios* ad effodiendam terram ut mortui sepelirentur addictos, et *Parabolanos*, qui aegrotos curabant.

cium constitutum, ni forte tonsuratum cum Psalmista confundas. Quam vero habeat mysticam significationem corona e capillorum abrasione emergens, partim ex Pontificali Romano, partim ex Cathechismo Concilii Tridentini eruitur. Tonsura initiari quis nequit, nisi suscepto Sacramento Confirmationis, et ideo septem annos natus, et qui literas sciat.

Minores autem dicuntur hi quatuor ordines, et non sacri, tum quod subesse maioribus, tum quod a contactu Sacramentorum abstinere debeant.

Primus post Tonsuram ordo, *Ostiariorum* est, qui, Ecclesiæ clavibus acceptis, claudendis, aperiendisque foribus, arcendisque infidelibus, et excomunicatis præficiuntur. Secundus est *Lectorum*, quibus sacri libri populo ex suggestu recitandi traduntur. Tertius est *Exorcistarum*, qui facultatem accipiunt eiiciendorum Dæmonum certis, et solemnibus imprecationibus. Quartus est *Acolythorum*, sive sectatorum, quorum est comitari, et assectari Episcopum, funalia, sive cereos præferre, suggesta Diaconis, pro Eucharistiæ administratione præparare (3).

Minoribus Ordinibus nulla statuta est ætas a Tridentina Synodo (4); verum conferendi sunt tantum iis, qui *saltem* latinam linguam intelligant, ac

(3) *Can.* 1. *dist.* 25. in princip.
(4) *Sess.* 23 *Cap.* 11.

per temporum interstitia, nisi aliud Episcopis expedire magis videatur. Itaque minores ordines, vel uno die conferre aliquando licet Episcopo, non item maiores (5). Sed neque Acolythatum simul cum Subdiaconatu sine Pontificis venia Episcopus rite conferet, qui præterea providere debet diligentissime, ut functiones horum ordinum propriæ a Clericis idoneis iuxta veterem morem exerceantur, ne ab Hæreticis tamquam otiosæ traduci possint (6).

TITULUS XI.

Communia tam minorum quam maiorum Ordinum.

Ordinum ubique conferendorum potestas solius est Summi Pontificis: Episcoporum enim aliorum facultas propria Diœcesi terminatur: alterius vero Dioeceseos Clericum sine venia Episcopi Diœceseos illius ordinare iidem prohibentur, nisi quem triennio inter familiares habuerint, eique ordinato statim beneficium conferant (1). Concessa autem venia, quæ literis, quas appellant *dimissoriales* (2),

(5) Cap. *De tempor. ordin.* et Trident. Syn. l. c.
(6) Trid. ibid. *Cap.* 17.
(1) Conc. Trid. *Sess.* 23. *Cap.* 9. *de reform.*
(2) *Dimissoriae* literae antiquitus clericis tradebantur, cum in alteram se conferrent Dioecesim, ut ibi constituerent domicilium: eae dictae sunt etiam *pacificae* demostrandi causa clericum *cum pace* sui Episcopi fuisse dimissum. Illis vero temporibus erant e-

committitur, morte concedentis non expirat, nisi a successore revocetur.

Porro proprius alicuius hominis Episcopus quis dicitur aut ratione *originis*, si natales vel ipse, vel pater habuerit in ea Diœcesi, ubi domicilium non fortuito, sed permanendi animo locaverat: aut ratione *domicilii*, si vel ipse ordinandus a patre seorsum habitans, vel ipse pater cum filio secum habitante firmum domicilium eo transtulerit: aut ratione *beneficii*, si ea in Diœcesi, ubi ordines petit, beneficium ordinando sit paratum, quod vitæ sussidio sufficiat, observatis iis, quæ novissime statuit Constitutio Innocentii XII. (3), in qua fuse, ac distincte de ratione suscipiendorum ordinum, et concedendarum dimissorialium sermo habetur. Neque licet aliena in Dioecesi Episcopo ulli exercere Pontificales actus, nisi permissu eius Episcopi, ad cuius ius ea Dioecesis pertineat (4).

Qui Summi Pontificis iussu aliquem ordinem ac-

tiam epistolae *commendatoriae*, et *communicatoriae*, et omnibus tam clericis, quam laicis concedebantur in testimonium orthodoxiae, et ecclesiasticae communionis: *commendatoriae* quidem hominibus nobilitate praestantibus, veliis, quorum existimatio suspecta fuerat, vel clericis qui in regiones exteras proficiscebantur. *Communicatoriae* autem erant eorum, qui in Ecclesiae communione cum ea pacem colebant, ideoque *pacificae*, *ecclesiasticae*, et etiam *canonicae* dictae fuere; et quoniam singularibus caracteribus, signis, et forma scriptae erant, idcirco omnes *formatarum* nomine generaliter donabantur.

(3) Haec est Constitutio *Speculatores* 96. *Tom* 9 *p*. 374 Bullarii ultim. edit.

(4) Conc. Trid. *Sess.* 14 *Cap.* 2. *de reform.*

ceperunt, quamvis ordinarii sui potestati subiaceant (5); sine tamen ipsius Pontificis venia per ullum Episcopum ad ulteriores ordines perduci prohibentur (6).

Græcus à Latino Episcopo, et Latinus a Græco non recte ordinabitur, ne ritus inhoneste permisceantur (7). Quod si Græcus Episcopo Latino sit subiectus, poterit ab Episcopo Græco post acceptam ab Episcopo suo Latino veniam ordinari (8).

Explorati autem iuris est, non modo eum, qui Episcopatum deposuit, sed Episcopum excomunicatum, et etiam hæreticum retinere semper characterem ordinis animo insculptum: adeo ut animis aliorum, ordinando, imprimat characteres ordinum, quos tribuit, quamvis non communicet exercitium eorum: et quoniam non constat ædificium sine fundamento; ideo, si non baptizatus ordines acceperit, baptizandus est, et postea iterum ordinandus (9).

Regulares subditis suis litteras dimissoriales tantum ad Diœcesanos eius Monasterii, cuius in familia est is, qui ordines petit, dare possunt. Et, si

(5) Cap. *Perpetuas de maiorit. et obed.*
(6) Cap. *Cum in distribuendis de temp. ordin.*
(7) Cap. *Cum secundum eod.*
(8) Cap. *Quod translationem eod.* Ex Constitutione Clementis VIII. 34. confirmata a Benedicto XIV. *Bulla* 57. *Tom.* 1. Graeci in Italia degentes ordinem suscipere nequeunt nisi ab Episcopo graeco Romae constituto, sive ab altero graeco Episcopo in Calabria in Oppido S. Benedicti.
(9) Cap. ult. *de presbyt. non baptiz. et Can. Cum Paulus c.* 1. *q.* 1.

Ordinarius illius Diœceseos vel absit, vel ordinationes non habeat, dare possunt literas ad quoscumque, ut Sacra Congregatio censuit (10). Sciendum autem est, quod qui examen, de quo diximus, subterfugerit, ordinis exercitio carebit (11), si ordinandis se clam seu furtive, ut Episcopum falleret, inseruerit.

Promoti per saltum, sive qui ad ordinem maiorem, neglectis mediis, ascenderunt, si dolo careant, ordinis suscepti exercitio tamdiu privabuntur, quamdiu elabatur tempus necessarium ad ordinem, quem omiserunt; et si non ministraverint, poterit super eo Episcopus *ex legitima causa* dispensare (12).

Priscis Canonibus ad ordinationes sunt constituta tempora quatuor, quæ ieiunando de more transigimus. Sunt autem hæc, nempe, ieiunium mensis IV., hoc est Iunii, qui quartus est mensis a Martio, unde veteres etiam Christiani annum inchoabant; et mensis VII., hoc est Septembris; et X., hoc est Decembris; et Quadragesimæ initio, extra quæ tempora maiores ordines conferre non licet, nisi ei, qui a Summo Pontifice veniam acceperit,

(10) Apud Nicol. *de temp. ordin.* sub n. 7.
(11) Vid. *tit. Decretal. de eo, qui furtiv. ordin suscep.*
(12) Vid. tit. Decret. *De Cleric. per salt. prom.* et Conc. Trid. *Sess.* 23. C. 14. *de reform.* Hoc tamen intelligendum est, non ut ordinatus ad superiorem ordinem evehatur, antequam inferiorem ordinem omissum suscipiat; sed ut Episcopus facultatem tribuat ministrandi in ordine per saltum suscepto, post quam ordo omissus jam fuit receptus.

impetrato Brevi, quod appellant *extra tempora,* exceptis duobus Sabbatis, nempe Sabbato sancto, et Sabbato ante Dominicam Passionis, qui etiam sunt ordinationum solemnes dies; adeo ut sex Sabbatis ordinationes solemniter habeantur (13).

Dignus autem ordinationibus locus est Ecclesia Cathedralis, vel alia ex maioribus, si quis Episcopi permissu ea in Dioecesi ordines conferat (14). Minoribus autem ordinibus quilibet festus dies, et Dioeceseos locus est aptus (15), et primæ tonsuræ idoneus est etiam dies non festus, et locus quilibet; censetur enim actus voluntariæ iurisdictionis.

Quæsitum est utrum sacra ordinatio, quæ extra missarum solemnia peragitur, illicita tantum sit, an etiam irrita. At vero nullus invenitur canon, quo irrita declaretur (16).

TITULUS XII.

De Parochis.

Unaquæque urbis, rurisque pars, in qua sacra quædam ædes est constituta, ut fideles ibi digentes ad sancta Religionis mysteria, festaque celebranda

(13) C. *quod a patribus dist. 75. cum gloss. ver. Sabbati* et Cap. *de eo, de temp. ordin.* Concil. Trid. *Sess.* 23. C. 8. *de reform.*
(14) Concil. Trident. l. c.
(15) Vid. Pontificale Rom.
(16) Vid. Benedict. XIV. De Synod. Dioeces. *lib.* 8. *Cap* 11.

conveniant, *Paroecia* dicitur, sacerque Minister Paroeciæ ipsi præfectus, ut ordinario iure sacramenta ministret, ac publica Religionis officia peragat, *Parochus*, vel *Curatus*, ex animarum, quam sub Episcopo gerit, cura vocatur. Alicubi etiam pro varia Paroeciarum dignitate, atque amplitudine dicitur vel *Archipresbyter*, vel *Plebanus*, vel *Prior* etc.

Initio Ecclesiæ nullæ constitutæ leguntur Parochiæ, sed unum erat Cathedrale Templum, ubi Episcopus cum suis presbyteris, et reliquo clero sacra peragebat adstante populo. Hoc aucto, aliæ, prout necessitas, vel communis utilitas postulabat, constructæ sunt ædes sacræ, ad quas nutu Episcopi mittebatur modo unus, modo alter presbyter, qui aliquam gregis totius partem, verbo et sacramentis pasceret. At rure primum, labente sæculo tertio, vel ineunte quarto, in minoribus Ecclesiis, multo autem serius, nec eodem simul tempore, constituti sunt ordinario jure præditi presbyteri, quos tamen ampliorem alias habuisse potestatem, Thomassinus, et Binghamus animadvertunt, ex quibus colligitur non recte sentire eos, qui volunt Parochos in septuaginta duorum Discipulorum locum successisse.

Præcipua igitur Parochorum munera sunt sacrificium pro populo offerre, divinum verbum nun-

ciare, sacramenta administrare (1). Debet enim unusquisque Parochus, sive dives, sive pauper, pro populo sibi commisso cunctis dominicis, festisque diebus sacrificium offerre. Licet tamen Parochis, qui gravi inopia laborant, cum Episcopi venia, festis diebus accipere quod a pio aliquo homine datum est, et pro eo missam offerre, modo infra hebdomadam pro populo rem divinam conficiant, quam festis diebus conficere debuissent (2).

Debent etiam Parochi non solum pueros, rudesque homines Religionis rudimenta edocere (3), sed etiam cunctis saltem dominicis diebus, et festis solemnibus cum brevitate, et facilitate sermonis Evangelium populo explicare, et cætera, quæ ad æternam salutem omnibus sunt necessaria (4). Huc etiam refertur munus nunciandi festos dies, indulgentias, ieiunia, et cætera, quæ emerserint Ecclesiæ præcepta, ne populi ignorantia violentur (5).

(1) Conc. Trident. *Sess.* 23. *Cap.* 1. *de reform.*
(2) Benedictus XIV. in Constit. *Cum semper* 103. T. 1. eius Bullar. ubi declaravit hoc onore missam offerendi pro populo dominicis, ac festis de praecepto diebus omnes generatim teneri, qui curam habent animarum; etiam Vicarii amovibiles, ac temporarii, et regulares.
(3) Benedictus XIV. in constit. *Etsi minime* 42 eod.
(4) Conc. Trid. *Sess.* 5. *Cap.* 2. *de refom.*
(5) Conc. Trid. post *Sess.* 25. in decreto *de delectu ciborum, ieiuniis, et diebus festis.*

TITULUS XIII.

De Canonicorum Capitulis, et Dignitatibus.

Olim ii proprie appellabantur *Canonici,* qui iuxta Chrodogangi Metensis Episcopi regulam, communem cum Episcopo ducebant vitam, eorumque coetus vocabatur *Capitulum*. Postea vero licet plerique ipsorum seorsum vivere coeperint, eadem tamen in Cathedralibus, et Collegiatis Canonicorum Ecclesiis, Capituli nomina retinuere; quæ Capitula vel *Cathedralia* vel *Collegiata* dicuntur, prout nimirum Cathedrali, aut aliis inferioribus Ecclesiis Canonici inserviunt. Sed hoc inter liberos, et adhuc in vita communi persistentes intercessit discrimen, quod illi *sæculares,* hi *regulares* Canonici, licet non satis apte dicerentur.

Capitulum itaque *Cathedrale* hodie vocatur cœtus Clericorum, qui principalis Ecclesiæ, ubi Episcopi Cathedra, vel præcipua sedes est, illustrioribus Dignitatibus, Præbendisque insigniti, unum cum ipso Episcopo corpus componunt, ac veluti sacrum in Dioecesi regenda senatum constituunt. Episcopali vero sede vacante, Dioecesim ordinaria iurisdictione moderantur, ut infra dicemus. In Capitulis autem *Collegiatarum,* Episcopi quidem locum plerumque obtinet *Præpositus, Prior,* aut

qui prima inter Canonicos dignitate fulget: idemque paroeciam regit, cui Collegiata ipsa præficitur: Huiusmodi Collegiatæ in Etruria nostra, tam in ipsis urbibus, quam in illustrioribus oppidis numerantur plures: atque inter has et re, et nomine, et antiquitate *insignis* est Emporiensis, cuius Canonicis accessit Pii VII. nunc Summi Pontificis beneficio, nobiliorum vestium amplissimum privilegium.

Canonicorum omnium communia censentur iura, et officia: Divinas preces tam diurnas, quam nocturnas publice iu æde sacra *per sese, non per substitutos* persolvere, Capitularibus adesse Congregationibus, ibique, si ad sacros Ordines promoti fuerint (1), suffragium ferre; distributiones, et Beneficiorum, quibus fruuntur, reditus percipere; præbere consilium, et opem in Cathedralibus Episcopo, in Collegiatis Præposito, vel earumdem Præsidi (2); cæteris præcedere Clericorum Congregationibus; aliaque huiusmodi gerere. Cæterum cum de consilio tantum agitur, hæc obtinet regula, ut Episcopus exquirere illud omnino debeat, non tamen necessario sequi (3).

Synodus autem Tridentina iussit, ut in Cathedralibus Ecclesiis omnes Canonicatus, et portiones

(1) Clem. 2. *de aet. et qualit. praeficiend.*
(2) Tit. X. L. III. Decretal. *De iis, quae fiunt a praelat. sine consensu Capit.*
(3) Benedict. XIV. de Syn. Dioec. *lib.* 13. *C.* 1. *§.* 6.

haberent adnexum Ordinem Presbyteratus, Diaconatus, vel Subdiaconatus; utque Dignitates cum animarum cura obtinentes essent viginti quinque annos nati. Insuper hortatur (4), ut qui Cathedralium, et insignium Collegiatarum Dignitatibus quibuscumque decorarentur, ac pro dimidia saltem parte, Canonici (ubi commode id fieri possent) Theologiæ, vel Canonum Doctores in aliqua publica Universitate designati essent; utque singuli ad proprium perficiendum munus idonei reipsa forent (5).

Propria vero quorumdam Canonicorum iura, et officia non possunt agnosci, nisi variæ Capitularium Dignitatum, Præeminentiarum, Personatuum, et Officiorum species proponantur.

Præeminentia quidem generatim dicitur, *quævis in Ecclesiastica Hierarchia prærogativa, qua quis aliis præcellit; Dignitas* est *Præeminentia cum iurisdictione in externo foro* (6); si iurisdictio non adiungatur Præeminentiæ, *Personatus; simplexque* tandem *Officium* dicitur, si ministerium sacrum sine ulla Præeminentia sit, vel nuda meraque administratio.

Inter eos, qui Præeminentia frui solent, Cano-

(4) Trid *Sess.* 24. *Cap.* 12. *de reform.*
(5) Ibid. *Sess.* 22. *C.* 3. *de reform.*
(6) Hodie abusive dignitas dicitur; nam omni fere ecclesiastica jurisdictione ad Episcopum revocata, dignitates nullam in Ecclesia habent administrationem, sed tantum praeminentiam in choro, aliaque honorifica jura.

cos recensendi, *Scholasticus*, cuius olim erat in Cathedralium, Collegiatarumque scholis iuniores docere Clericos, hodie vero scholarum ipsarum regimini præesse debet (7); *Thesaurarius*, qui sacræ supellectilis, thesauri, chartarum, ipsorumque Templorum custodiæ præficitur; *Theologus*, qui publicas sacræ Scripturæ lectiones præsente Capitulo habere debet (8); *Pœnitentiarius* audiendis confessionibus destinatus (9); *Primicerius*, qui Choro præest, Clericosque in psallendi, canendique ordine dirigit; *Decanus* spiritualem Capituli, et Cleri curam gerens, et nonnullis in Collegiatis Ecclesiis totius collegii Caput, ac Præses; *Archidiaconus*, qui ordinandos præsentat Episcopo, et pro vario locorum usu exigua quidem retinet amplioris, qua olim pollebat, iurisdictionis vestigia; *Archipresbyter*, qui Presbyterorum censetur primus, et Episcopo absente, in Divinis eius vicem gerit; atque *Præpositus*, qui prima in plerisque Collegiatis, in quibusdam autem Cathedralibus secunda post Episcopum dignitatis prærogativa fulget, cunctisque Canonicis præfici solet (10).

(7) De Magistris, eorumque iuribus vid. *lib.* 5. Decretal. Greg. IX. *tit*. 5.
(8) Trident. *Sess* 5. *C.* 1 *de reform.*
(9) Ibid. *Sess.* 24. *C.* 8. *de reform.*
(10) Vid. Instit. Canonic. Francisci Foggi *Tit.* 8. *lib.* 11. et ibi cit.

TITULUS XIV.

De officio Vicarii tam Generalis, quam Capitularis, et aliorum Vicariorum. Tit. 28, in Sexto Tit. 13, in Clement. 7, Lib. I.

Qui alterius vices gerit *Vicarius* dicitur. Vicariorum autem genus est multiplex. Alii enim *Vicarii Generales* dicuntur, qui mandatu Episcopi voluntariam exercent iurisdictionem, alii *officiales*, qui contentiosam. Alii *Apostolici*, qui iubente Pontifice Dioecesim aliquam administrant vice Episcopi, vel absentis, vel rei alicuius gravis criminis, vel aliam necessariam ob causam. Sunt etiam *Foranei*, qui ab Episcopo constituuntur in minoribus oppidis, ut pluribus Paroeciis invigilent, et si quid vitii est ad Episcopum referant: atque hi, si iurisdictione gaudeant propter locorum distantiam, separatum ab Episcopo Tribunal habent.

Cum Archidiaconorum in rebus gerendis potestas suspecta, et ipsismet Episcopis periculosa evasisset, invaluit sæculo præsertim duodecimo consuetudo creandorum Vicariorum, qui et *officiales* appellantur, et *Vicarii Generales* (1). Neque ex lai-

(1) Consuetudinem Vicarios generales constituendi Sæculo XIII. obtinuisse, ac eorum originem Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. adscribendam esse plures autumant clarissimi viri, eo

cis (2), neque ex ordine mendicantium licet sumere Vicarium (3), neque ex Clericis coniugatis (4), neque ex minoribus viginti quinque annis (5), neque ex consanguineis Episcopi, ut Sacra Congregatio respondit in Tarentina 6 Aprilis 1655. Sed nec qui curam habent animarum, adeoque nec Poenitentiarii eligi possunt, nec rerum sacrarum imperiti. Unde in Vicario gradum Academicum Theologiæ, vel iuris Canonici requiri sacra Congregatio Episcoporum, et Regularium semel atque iterum edixit.

In constitutum autem Vicarium transit omnis iurisdictio, sive spiritualis, sive temporalis, quæ iure ordinario Episcopo competit: excepta collatione beneficiorum, quæ vi generalis commissionis non transfertur, et facultate recipiendarum resignationum; item facultate cogendæ Dioecesanæ Synodi, qua in urbe Roma solus fruitur Cardinalis Vicarius Pontificis. Præterea vi generalis mandati non licet Vicario Episcopi Dioecesim visitare, dimissorias dare (nisi Episcopus sit in remotis regionibus) res Ecclesiasticas alienare, feudales causas cognoscere,

quod potissimum nulla de his occurrit mentio nec in Gratiani Decreto, nec in Gregoriana collectione; sed in VI. Decretalium, Titulus *de officio Vicarii*, generalium Vicariorum munera totus illustrat.

(2) Can. *in nona C. 16. qu. 7.*
(3) Clem. *Etsi 2. de rescript.*
(4) Cap. 2. *de Cleric. coniug.*
(5) Cap. *Cum in cunctis 7.* §. inferiora *de Elect.*

iuramentum Episcopalium Vassallorum recipere, indulgentias concedere, et ea, quæ sunt Episcopalis ordinis exercere, licet Vicarius forte sit consecratus Episcopus. Excipiuntur etiam a generali mandato, quo Vicarius constituitur, omnia, quæ competunt Episcopo iure speciali; item ex multorum sententia, cognitio caussarum matrimonialium (6), et caussarum criminalium ultra inquisitionem, et levem coercitionem (7). A Vicario autem generali ad Episcopum non appellatur, quia cum eo constituit unum tribunal; cumque mandatam habeat iurisdictionem, fungitur vice mandantis, ideoque videretur ab Episcopo ad eumdem Episcopum appellari.

Extinguitur ergo Vicarii iurisdictio, si Episcopi iurisdictio extinguatur, sive morte, sive captivitate, sive poena, et denique voluntate Episcopi, si eum amoverit (8), aut ipsius Vicarii, si munus deposuerit.

De Vicario generali satis hactenus, de Capitulari dicamus. Episcopo per mortem, renunciationem, aliamve iustam caussam sublato, Ecclesiæ omnis administratio ad Capitulum devolvitur, in quod exceptis iis, quæ sunt Ordinis, exceptaque collatione

(6) Cap. *Accedentibus* 12. *de excess. Praelat.* Conc. Trid. *sess.* 24 *C.* 20. *de reform.*
(7) Cap. penult. *de offic. Vicarii in* 6.
(8) Episcopus plures eligere potest Vicarios, vel etiam nullum; nullam habens eligendi Vicarium necessitatem, cum sine ope aliena suum munus exercere valeat.

eorum beneficiorum, quæ ad solum Episcopum etiam cum consensu Canonicorum spectabat, transit omnis Episcopi ordinaria potestas, sive spiritualis, sive temporalis, una cum collatione beneficiorum, quam Episcopus cum Canonicis habebat communem (9). Quæ vero sunt Ordinis, ne detrimentum contingat animarum ex dilatione, a vicinioribus Episcopis a Capitulo convocatis exercentur (10). Fructus item Ecclesiæ vacantis Capitulum colligere debet, ac futuro Episcopo reservare. Propterea Tridentina Synodus cavit, ut iis curandis, Oeconomus a Capitulo constituatur; et quia iurisdictionis exercitium difficilem exitum haberet, si divideretur in plures, iussit etiam, ut a Capitulo Vicarius, qui vice omnium administret, eligatur intra octo dies ab Episcopi morte (11): quo elapso tempore, si non elegerint Canonici, facultas ea devolvitur ad Metropolitanum; et Metropolitana Ecclesia vacante, ad antiquiorem e Suffraganeis (12). Si vero vacans Ecclesia exempta sit a iurisdictione Metropolitani,

(9) Cap. 1. *Ne Sede vacante in 6.*

(10) Cap. *His quae, et C. Cum olim* de *maior. et obedient.*

(11) Trid *Sess.* 24. *C.* 16 *de refor.*

(12) Re tamen adhuc integra, nempe antequam Metropolita, vel alius negligentiam Capituli suppleverit, rata habebitur eiusdem Capituli electio; itemque si Ecclesia metropolitana una cum suffraganea vacaverit, quae careat Capitulo, electionem Vicarii Ecclesiae suffraganeae non spectare ad antiquiorem ex suffraganeis, sed ad Capitulum vacantis Ecclesiae metropolitanae, censuit Sacra Congregatio Concilii.

facultas ea transit ad Episcopum exemptæ proximiorem (13).

Quamvis autem Vicarius Capitularis nequeat Ordines conferre, quia tamen habet iurisdictionem, concedere potest veniam subditis, ut ab aliquo Episcopo ordinentur per literas, quas vocant *dimissoriales:* dum ne concedantur intra annum ab Episcopi morte, nisi quis ordines petat, ut aliquod beneficium Ecclesiasticum assequatur (14).

TITULUS XV.

De Vita, et honestate Clericorum. Tit. 1. Lib. 3.

Clerici præcipiente Christo Domino ita se gerere debent, ut lux mundi, sal terræ et habeantur, et sint, utque, ut ait Apostolus, vel is, qui ex adverso est nihil habeat malum de iisdem dicere. Idcirco tenentur Clerici peculiaribus quibusdam legibus, cuiusmodi sunt, ut in primis morum integri-

(13) At negligente Metropolita, aut antiquiore, vel proximiore suffraganeo, electio Vicarii Capitularis ad Romanum Pontificem devolvitur, vel ad Sacram Congregationem Episcoporum; illud insuper notandum, quod aliqua de causa alicui Episcopo constituto Vicario a sede Apostolica, ob reverentiam eidem debitam, Episcopo e vita functo, Capitulus Vicarium non eligit, sed ille suum munus prosequitur. Rite constituto ex officio Vicario Capitulari, removeri non potest, nisi causa cognita a Sacra Congregatione Episcoporum, et Regularium. Benedict. XIV. *de synod dioeces. Lib.* 2 *C.* 9. quod opus adeat, qui de Vicarii Capitularis, et aliorum Vicariorum potestate et officio plura desiderat.

(14) Trid. *Sess.* 7. *C.* 10. *de refor.*

tate, sanctitate vitæ, doctrina cæteris exemplo sint, ut parce, et frugaliter vivant, atque ut opes conferant ad pauperum levamen, non ad inanes sumptus; ut corporis cultu utantur, qui luxu simul careat, et sordibus, ne contemptum, aut invidiam pariant (1); ut non modo sceleris puri sint, sed omnem etiam aliorum offensionem, suspicionemque declinent; ut se abstineant a sæcularibus negotiis, atque muneribus (2), a fœminis secum in una, et eadem domo retinendis, nisi arcta cognatio omnem suspicionem excludat (3), et ab omni turpi lucro, et quæstuosa negociatione (4).

Quædam tamen sunt negociationes, quibus Clerici non interdicuntur. Ita licet Clerico labore manuum, et honesto artificio sibi victum comparare; item vendere res collectas ex propriis prædiis, et carius etiam vendere res, quæ supersunt, quasque ipsi emerunt pro se, et familia sua, modo se intra fines iusti pretii contineant. Prohibentur ii tamen, etiam sub alieni nominis involucro *cambia*, uti vocant, *activa* contrahere, et similes quæstuosas negociationes exercere (5), laicorum ministros, et procuratores esse.

(1) Cap. 5. *de vit. et honest. Cleric.*
(2) Tot. Tit. *ne cleric. aut monach. saecul. negot. se immisc.*
(3) Cap. 5. *et.* 9. *de cohabit. Cleric. et Mulier.*
(4) Can. 9. *dist.* 88. Can. 1. c. 14. q. 4. Cap. 6. *ne Cleric. vel Monach.* Concil Trident. *Sess.* 22. c. 1. *de reform.*
(5) Constitut. *Apostolicae* 13 Benedict. XIV. *Tom. I. eius Bullar.* et Clementis XIII. Encyclica *Cum primum.*

Vetantur etiam Clericis choreæ, comœdiæ, aliaque spectacula, ludi alearum, ac certe omne clamorosæ venationis genus, sæcularis militia, nimia comæ nutriendæ cura, armorum delatio, et cætera, de quibus agitur in hoc Decretalium Titulo. Nam eos servare oportet diligenter leges omnes, quæ pro eorum moribus, et disciplina Ecclesiasticis canonibus latæ sunt, quæque aut in corpore Decretalium extant, aut in Bullis Summorum Pontificum, aut in Decretis Concilii Tridentini, quæ dicuntur *de reformatione*, aut in provincialibus, diœcesanisque constitutionibus.

Sed in primis servanda est residentiæ, ut dicitur, lex, ab iis omnibus, qui curam animarum gerunt, vel alia beneficia possident, quæ in officio adsiduitatem desiderant, de qua suo loco dicemus.

TITULUS XVI.

De privilegiis Clericorum. Tit. 33. Lib. V.

Iure communi tam Canonico, quam Civili, certis fruuntur Clerici privilegiis, quorum quædam personas ipsas, et quædam res eorum attingunt. Quæ ad personas pertinent, ea vel honoris sunt, aut iuris, vel personalem exemptionem, et reliqua personalia Clericorum commoda respiciunt. Honoris, ac iuris privilegia eo spectant, ut Clerici nobiliorem

occupent in templo locum, et præeant collegiis, atque corporibus Laicorum, ut soli Ecclesiasticas dignitates, et beneficia, ex iisque pensiones habere possint, et soli ius habeant utendi, fruendique redditibus rerum Ecclesiasticarum, et beneficiorum.

Iura exemptionis in eo sunt posita, ut neque publicis fungi muneribus, neque ad Laicos Iudices venire compellantur, sed solum Ecclesiastico Magistratui subesse debeant, quod dicitur privilegium *Fori* (1). Reliqua privilegia eo fere revocantur omnia, ut in ius vocati a Creditoribus in id solum, quod est supra decentem eorum tuitionem, condemnentur, idque dicitur privilegium *Cap. Odoardus de Solutionibus;* ut Clerici filii familias plenum habeant dominium bonorum adventitiorum, quod privilegium habetur in *Auth. Presbyteros Cod. de Episc. et Cleric;* ut demum qui in Clericum violentas manus iniecit, statim expers ecclesiasticæ communionis, sive excomunicatus evadat, atque hoc dici solet privilegium *Canonis,* quod habetur in *Can. Si quis suadente causa* 17. *q.* 4.

De his adnotabimus, etiam apud Ethnicos sacrorum ministris amplissima privilegia fuisse concessa: nec placuisse plerisque Christianis Principibus, ut deterior esset Clericorum conditio, qui rite legatione pro Christo fungerentur, eaque omnia perage-

(1) Cap. 1. *de For. compet. et tot. caus.* 11. *q.* 1.

rent, quæ superiori titulo complexi sumus, et homines decent veri Numinis cultui animarum saluti, communi Civium paci tuendæ, fovendæque, perpetuo mancipatos.

TITULUS XVII.

De iis, qui promoveri non possunt.
Plures Tit. in Lib. I.

Irregularis, qui olim *alienus a regula* dicebatur (1), is habetur, *cui canones impedimento sunt, quominus vel Clero adscribatur; vel susceptum ordinem exerceat; vel ad superiores ordines promoveatur*. Adeo autem impedimentum canonicum est *irregularitas*, ut nulla ratio possit efficere, ut habeatur irregularis, qui non disertis verbis canonis irregularis declaretur (2).

Duplici nunc ex capite scilicet ex crimine, aut

(1) *Irregularitatis* voce primum usus fuisse videtur Innocentius III. in Cap. *Nisi cum pridem* 10. *de renunciat.*

(2) Ius instituendae irregularitatis soli Ecclesiae, vel R. Pontifici competit, cum illis solum competat condere jus Canonicum, et commune. Igitur manifestum est, nullam esse irregularitatem, quae vel peculiaribus Dioeceseon statutis, vel ipsa simplici consuetudine introducatur. Hinc irregularitas a solo jure, et non ab homine induci potest. Sic Bonifatius VIII. in *Cap.* Is qui 18 *de sent. excom. in 6.* ibi: *Is qui in Ecclesia* polluta ... *scienter celebrare praesumit, licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in jure) laqueum non incurrit. Is vero qui scienter in loco celebrat supposito* interdicto ... *irregularitatem incurrit.*

ex defectu nascitur illud, de quo loquimur impedimentum: ac primum de criminibus (3).

Quisquis olim pro crimine publicam egerat pœnitentiam, cum non careret iusta reprehensione, quæ dedecet Sacrum ministerium, quo Clericos fungi oportet, ab ordinibus repellebatur. Nunc laxata severitate antiquæ disciplinæ, ea dumtaxat crimina irregularitatem inducunt, quæ infamiam afferunt, ob maculam, qua inde criminosus adspergitur, vel quæ nominatim expressa sunt. Huiusmodi criminosi, qui nominatim a iure designantur sunt serio, ac scienter baptismum iterantes, et qui palam baptismi iterationi ministerium impenderunt; simoniaci; ordinati per saltum; qui in ordine non suscepto ministrarunt; qui ad suscipiendos ordines non adprobati, nec vocati obrepserunt; qui ordines susceperunt, aut eorum iam susceptorum exercuerunt munera, cum maiori excomunicatione, aliave censura tenerentur; qui voluntarium, atque iniustum homicidium patrarunt (4).

(3) Irregularitas cum sit impedimentum canonicum, primario et directe statuta est, non ad punitionem, sed ob onorem Ecclesiastici ministerii; unde differt a censura, quae est poena medicinalis ob culpam inflicta, et ad emendationem delinquentis ordinata. Id autem non vetat, quominus aliquando irregularitas sit *quodammodo* poena, non quidem *primario* sed *secundario*, quatenus ob delicti maculam, aliquis sacro ministerio censetur indignus, ob cuius reverentiam *primario* infligitur.

(4) Vid. Titulos Decretalium *de Clerico per salt. promot.*; *de Cleric. non ordinat. ministrant; de eo, qui furtiv. ordin suscep; de homicid. volunt. vel casual.*, Trident. Synod. *Sess* 24. *Cap* 6 *de reform.*, et Constit. *Sanctum*, *Sixsti V. in Bull. ult. ed.*

Quod pertinet etiam ad eos, qui animatum mulieri partum abegerunt sive id medicamentis, sive alio quovis modo effecerint; itemque ad eos, qui consilium, mandatum (5), opem alicui dederunt, ut hominem interficerent (6). Fortuitum vero homicidium, quod admissum est ab eo, qui rei licitæ (7) operam dabat, quemadmodum et homici-

(5) Ita Bonifacius VIII. *in Cap. Final. de homicid. in* 6. ibi, *Is qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur irregularis efficitur, si mandatarius, fines mandati excedens, mutilet vel occidat; cum mandando in culpa fuerit, et hoc evenire posse debuerit cogitare.*

(6) Quoad vulnera, ex quibus homicidium acciderit, tria notanda sancivit Innocentius III. *in Cap. Significasti* 18. *de Homicid.* cuius haec est summa: 1° *Irregularis censetur qui alium lethaliter percussit, licet ab aliis fuerit exstinctus.* 2.° *Idem, si non apparet an lethaliter, si etiam percussus ab aliis obiit, et non apparet ex cuius vulnere decesserit.* 3.° *Idem est si percusserit non lethaliter, si animum occidendi habuit, et ex aliorum vulneribus percussus expiravit.* Consule Fagnanum ad hoc Cap. ubi notatur, quod si in dubium revocetur an quis reus fuerit homicidii, aut mutilationis, debet se pro irregulari gerere, et a ministerio altaris abstinere. Hinc Theologi, et Canonistae *dubium iuris* a *dubio facti* distinguunt. Iu dubio *juris*, quando nempe lex ita est obscura, ut de ejus sensu peritiores dissideant, vel quando dubitatur an hic casus contineatur sub lege inducente irregularitatem, neminem censendum esse irregularem Canonistae docent. At in dubio *facti*, cum quis dubitat num posuerit actum, cui irregularitas certo annexa est, tenetur se gerere pro irregulari, cum agitur de homicidio, ut diximus supra, ad hoc ut sacrificium Missae celebrare non possit, ob reverentiam huius incruenti Sacrificii. Sed generaliter *extra homicidium* in dubio facti non minus quam juris existimari debet, adhibita prius sufficienti diligentia, quod irregularitas non incurratur. Sic tenent Canonistae contra plures Theologos; tum quia irregularitas non iucurritur, nisi in casibus jure expressis, tum etiam quia in dubiis benignior interpretatio eligenda est, ex regula juris 30 *in* 6.

(7) Homicidium est voluntarium *directe*, vel in *causa*: *directe* cum animo deliberato, et directo committitur, et inducit irregularitatem; *indirecte* vero, sive *in causa* committitur, cum

dium, quod servato, ut inquiunt, *moderamine inculpatæ tutelæ*, aliquis patrare coactus est, sui ipsius defendendi causa, aut quod commissum est ab amente, furioso, infante, irregularem facit neminem (8).

Ad alteram divisionis partem quod attinet, vitium aut defectus animi irregulares efficit illos, qui baptismum non acceperunt; et horum quidem ordinatio irrita est, ut alibi diximus, quia cum Ecclesiæ ianuam ingressi non fuerint, apti non sunt ad suscipiendos ordines, et capessenda officia, quæ sunt Ecclesiæ filiorum propria (9). Qui carent Sacramento Confirmationis, ordinibus initiari non debent (10); verum si initiati fuerint, ordinatio rata firma est. Huc quoque referuntur neophyti, hoc

ponitur eius causa, quam oportuisset omittere, ne homicidium sequeretur. Ut vero homicidium sit voluntarium in *causa*, necesse est, ut causa illa omitti debuerit, cum facile praevideretur sequi ex ea posse homicidium. Non semper homicidium dici potest *voluntarium in causa*, si ex *illicita* evenerit causa, vel actione; nec semper est *involuntarium*, seu *mere causale*, si praeter intentionem fuerit admissum ex actione ex se *licita*. Si enim actioni perse *illicitae* detur opera, et tamen ex ea nec possit, nec debeat praevideri homicidium, tunc respectu ipsius agentis, homicidium mere casuale dicendum, et *non voluntarium* in causa; si vero e contra, datur opera rei *licitae*, et praeter intentionem eveniat homicidium, tamen *involuntarium*, dici non potest, *si debita omittitur diligentia*. V.Wan-Espenium *I. E. U. Part.* 2. *Tit.* 10. *C.* 7.

(8) Clemens V. *in Clement. unic. de homicid.* primus fuit qui declaravit irregularitatem non incurrere, qui homicidium ex quadam quasi necessitate, et involuntarie perpetravit; nam olim quodlibet homicidium irregularitatem inducebat, ut colligitur ex *Can. si quis viduam* 8 *dist.* 50.

(9) Cap. 1. *et* 3. *de Presbyt. non baptiz.*

(10) Concil. Trid. *Sess.* 23. Cap. 4. *de reform.*

est nuper baptizati, qui a maioribus ordinibus repelluntur, quoniam eos cita ordinatio in superbiam raperet (11); item clinici, seu in ægritudine baptizati, nisi postquam convaluerint, suis operibus ostendant, se non metu mortis, sed studio pietatis, et religionis baptismum suscepisse (12). Huc forte etiam pertinent fœminæ, quæ procul dubio sunt ordinum incapaces, quidquid blaterent plerique hæreticorum. His enim, vel tantum loqui in Ecclesia vetuit Apostolus (13). Denique ad defectus animi pertinet ignoratio literarum, earumque rerum sacrarum, quæ cuiuscumque ordinis propriæ sunt.

Ad defectus corporis pertinent irregularitatés eorum, qui insigni aliqua deformitate notantur, ob quam sacra Ministeria ludibrio exponerentur, et qui propter corporis impedimentum ordinis ministerium exercere non possunt; quæ omnia iudicio Episcopi relinquuntur; dispensationi non item, postquam iudicaverit vitium corporis esse hiusmodi, quod irregularitatem pariat (14).

(11) *Can.* 1. *dist.* 48.
(12) Can. 1. *dist.* 57.
(13) In Can. *Sacratas dist.* 23. Sotero Pontifici a Gratiano tributo, Sacratae Deo foeminae, vel Monachae (idest non sacratae) vestimenta altaris, et sacra vasa tangere prohibentur. Cl. Sebastianus Berardi in sua ceberrima Decreti emendatione, hunc canonem minime Sotero Pontifici convenire demonstrat, cum Monacharum mentio vix quinto, aut sexto Saeculo possit occurrere.
(14) Wan-Espen. Ius Eccles. Univ. part. 2. *Tit.* 10. *Cap.* 5.

Præterea irregulares sunt ex defectu bonæ famæ hæretici, schismatici, apostatæ, atque ii, quorum pater, avusque hæretici sunt, vel hæretici decesserunt (15); itemque adulteri, periuri, falsi testes, et rei cæterorum criminum, quæ alicui infamiam inferunt (16). Crimina hæc aut nota omnibus, aut iudicio probata, eorum reos ab ordinibus repellunt (17).

Matrimonium, teste Paulo, Christi cum Ecclesia, nempe unius cum una coniunctionem significat; hinc non solum ob notam, et suspicionem, quam præbuerunt incontinentiæ, sed etiam ob defectum significationis Sacramenti ab ordinibus arceantur bigami, qui scilicet plures nuptias contraxerunt (18).

(15) Cap. 15. de haereticis in VI. Vid. harum institutionum *Tit.* 20. *lib.* 2. §. *Beneficia*.

(16) Can. 17. *c.* 6. *qu.* 1.

(17) Cap. 4. *et ult. de tempor. ordinat.*

(18) In dubium minime revocandum, quin irregularitas ex bigamia auctorem habeat Apostolum 1. ad Timoth. 2, *oportet Episcopum esse unius uxoris virum.... Diaconi sint unius uxoris viri*. Graeci Patres statuentes incontinentiam, vel eius suspicionem fundamentum esse huius irregularitatis, bigamum non putarunt, qui ante Baptismum plures habuit uxores, vel unam ante, et alteram post ipsius sacramenti receptionem; at contra Patres Latini hos esse, tamquam bigamos, ab ordinibus arcendos putarunt, non ratione morali, ut Graeci, sed mystica, eo quod contrahens secundas nuptias, ut ait S Augustinus *Lib. de bon. coniug. Cap.* 18. *quandam sacramenti normam amisisse visus sit*; et supra *l. c. de Sacramento enim agitur, non de peccato*. Etiam Innocentius III. *in Cap. Debitum* 5. *de bigam. non ordin.* eamdem sententiam tenet, ut caeteros mittam ex hac ratione huiusmodi irregularitatem deducentes. Sanctus etiam Hyeronimus inter Latinos Patres existimavit infidelem bigamum post Baptismatis susceptionem non esse irregularem, eo quod in baptismo omnis peccati labes abstergeretur. Sed cum in baptismo peccata quidem, non defectus deleantur, et bigamiae irregularitas ex defectu *sacramenti*, nempe

Triplex autem est bigamia, *vera*, *interpretativa*, *et similitudinaria*. *Vera* bigamia est, quam modo descripsimus, nempe duplex coniugium; *interpretativa*, in qua non re, sed interpretatione quadam duplex matrimonium consideratur, veluti si quis ducat uxorem alio marito viduatam (19), aut ab alio corruptam antequam suo se immisceret coniugi (20); *similitudinaria*, cum quis solemni castitatis voto devinctus uxorem ducit, cumque ea liberis dat operam (21).

Sed et vacuitas ab omni sorde desideratur in Clericis; ea de causa ab ordinibus arcentur illegitimi, nisi postea nuptiæ inter eorum parentes rite concilientur (22), aut nisi Religionem professi monumento hoc pietatis natalium sordes eluerint, quia tunc recte ordinibus initiantur, licet a sui Ordinis præfecturis, nisi primum ea lege soluti fuerint abstinere se debeant (23). Sed et bona cum venia Episcopi, aut Summi Pontificis ordines suscipere potest illegiti-

misticae significationis unionis Christi cum Ecclesia, oriatur, idcirco in Augustini sententiam omnes ivere Theologi, et Canonistae. Aliter sentiendum de homicidio in infidelitate commisso. Cum enim irregularitas sit impedimentum canonicum, cui non subiacent infideles, certum est infidelem hominem, qui in infidelitate patravit homicidium, post baptismum, quo omnia peccata tolluntur, non esse irregularem.

(19) Can. 59. *dist.* 50.

(20) Can. 2. *dist.* 33. Can. 11. *et* 12. *dist.* 34. Cap. 1. *de Bigam. non Ord.*

(21) Cap. *ult.* eod.

(22) Cap. 1. *et.* 7. *qui fil. sint legit.*

(23) Cap. 1. *de fil. Presby ter.*

mus, atque etiam consequi Ecclesiasticos Magistratus. In minoribus ordinibus, et beneficiis simplicibus satis est venia Episcopi, in ordinibus sacris, parochiis, dignitatibus, Summi Pontificis venia desideratur (24).

Atque hæc quidem venia non latius explicanda, sed certos intra fines cohiberi debet, et ideo cui data copia est suscipiendorum ordinum, non ei data etiam videtur copia obtinendi beneficii, nec cui permissum est unum beneficium, licet plura obtinere (25). Decet autem huius veniæ cupidum cuncta narrare, ac patefacere Summo Pontifici, et potissimum significare oportet, num beneficium, quod illegitimus petit, situm sit in eadem Ecclesia, in qua pater eius ministrat vel ministravit. Difficilius enim in hac Ecclesia illegitimo beneficium permittitur; cum Sacri Canones, ut omnis a beneficiis imago hæreditariæ successionis arceatur, et nulla sit reliqua memoria incontinentiæ, beneficio potiri illegitimos vetent, aut aliquod obire munus in Ecclesia, in qua eorum pater dignitatem, aut beneficium obtinuit (26). Imo nec filius Presbyteri legitimus, scilicet ex iusto coniugio susceptus ante ordinationem, sine venia Sedis Apostolicæ proxime succedere potest in beneficio patris, nisi media per-

(24) Cap. ult. *eod. et* Cap. 1. *eod. in. 6.*
(25) Cit. Cap. 1. et Cap. 2 *eod.*
(26) Concil Trid. *sess.* 25. Cap. 15. *de refor.*

sona intercesserit, in quam illud post patrem collatum fuerit (27). At filius Presbyteri illegitimus, ne media quidem intercedente persona, ac nunquam omnino consequi potest beneficium, quod eius pater obtinuit (28).

Item qui ætate carent, cuique ordini præscripta, de qua diximus, habentur irregulares. Quod attinet ad beneficia, dicetur in posterum.

Exemplo Christi ministros suos lenes esse voluit Ecclesia; atque hinc inter Episcoporum munera non illud postremum fuit, ut pro reis crimine damnatis intercederent apud Magistratus. Itaque irregulares sunt, qui aliquid conferunt ad necandum, aut mutilandum hominem, quamquam is alterutra pœna merito plectatur, veluti Iudices, qui sententiam proferunt mortis, aut mutilationis, modo eadem sententia ad exitum perducatur (29); item accusator, Fisci patronus, testes in causa sanguinis, et ministri omnes, qui sententiam exequuntur (30). cunctique demum, qui alienæ mortis, aut mutilationis participes fuerint (31).

(27) Cap. 7. 11. *et* 17. *de fil. Presbyt.*

(28) Ita declaravit Clemens. VII. in Const. *Ad Canonum* in bullar.

(29) Cap. *5. et 9 ne Cler. vel Monach.*

(30) Can. 30. *Caus.* 23. *qu.* 8. *et C.* 5. *et* 9. *l. c.*

(31) Duo hic notanda occurrunt. 1: Constitutio Turonensis Concilii puniens Religiosos audientes leges, vel physicam excomunicatione latae sententiae, ab Honorio III. *in Cap. Super specula, ne Cleric. vel Monach* extenditur ad habentes dignitates, personatus, ad Presbyteros etc. 2. Bonifacius VIII. *in Cap. Praelatis*

Ob defectum denique libertatis irregulares olim servi habebantur, de quibus agitur in titulo Decretalium *de serv. non ordinand.* nunc eamdem fere ob causam excluduntur ab ordinibus tutores, curatores, et cæteri, qui tenentur onere rationum reddendarum, nisi eas antea reddiderint, atque ita omnem fraudis suspicionem excusserint (32).

Irregularitates quædam perpetuæ sunt; quædam temporariæ, et hæ quidem statim desinunt, sublata causa, unde procedunt. Ita qui caret idonea scientia, ætate, libertate, cum liber est factus, cum ætatem, et scientiam adeptus est, recte ordinibus initiatur. Perpetuæ irrregularitates, quas induxit Ius Ecclesiasticum, tolluntur venia Sedis Apostolicæ. Verum in homicidio voluntario venia dari non solet, neque ei locus est, cum quis animi, aut corporis vitio non est aptus omnino ad suscipiendos ordines, atque ad obeunda munera, quæ eorum propria sunt. In occultis criminibus solvit lege etiam Episcopus, excepto homicidio voluntario (33).

de homicid. in 6. clericis de suis malefactoribus conqueri permittit coram Iudice saeculari, etiam de criminibus, ex quibus debetur poena sanguinis, *expresse protestando, quod ad vindictam, seu poenam sanguinis non intendunt*. Vid. not. *ad Tit.* 10 *de accusation. etc. Lib. IV. Tom.* 2. huius operis.

(32) *Cap. unic. de Oblig. ad ratiocin.*

(33) Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. *de Refor.*

TITULUS XVIII.

De Monachis, et Regularibus.
Tit. 31, et 35, Lib. 3.

Post *Clericos sæculares*, de quibus hactenus, maximo sunt Ecclesiæ ornamento Regulares, qui perfectionis vitæ Christianæ regulas profitentur. Hi omnes, quinque in Classes commode dividuntur.

Alii enim *Monachi* sunt, seu solitariam vitam agentes, licet nunc ex laicis, ut olim erant, facti Clerici, in media ipsa Urbium luce versentur, qui variis appellantur nominibus, et quorum post Sanctos Paulum et Antonium a Divo Basilio in Oriente, a Sancto autem Benedicto in Occidente, sæculo sexto, petenda est origo.

Alii *Canonici Regulares,* quorum primi, cum vita Canonicorum communis desiit, fuisse videntur sæculo decimo Cluniacenses.

His accessere sæculo decimo tertio Franciscani, Prædicatores, Carmelitæ, atque Eremitæ Sancti Augustini, qui omnes, *Fratres Mendicantes* vocantur.

Prodierunt etiam eo temporis, quo de Ierosolyma recuperanda agebatur, seu *Cruciatarum,* ut dicitur, ævo, *militares ordines,* sacræ scillicet militiæ adversus infideles dicati homines, quales in primis fuere Sancti Ioannis Ierosolymitani, quos

Melitenses Equites dicimus. Sed in Etruria nostra habetur inclytus Equitum Sancti Stephani Papæ et Martyris mitior ordo, a Pio IV. Pontifice sub regula Sancti Benedicti confirmatus, cuius insignia induit, ut Magnus Ordinis Magister, Cosmus Primus Pisis, an. 1561.

Denique, sæculo decimo sexto plures *Clericorum Regularium Congregationes* emersere, quibus emendatio morum, et Disciplinæ Ecclesiasticæ, nec non novarum hæresum profligatio, vel peculiaria Christianæ pietatis officia fuere proposita. In hunc censum veniunt Theatini, Patres Societatis Iesu, Somaschi, Barnabitæ, aliique.

Monachum faciebat olim, vel propria professio, vel paterna devotio; quæ disciplina offerendi Monasteriis infantes, ad Cælestinum III. viguit, labente seculo XII. (1).

Expressa regularis Professio, *Solemnis est actus, quo quis sese ad trium saltem votorum obedientiæ scilicet, castitatis, et pauperatis sub certa auctoritate Ecclesiæ confirmata regula observantiam obligat, et obstringit.*

Atque olim quidem licebat Episcopis institutum

(1) Cap. *cum simus* 14. *de Regularib. etc.* De antiqua hac disciplina notandum est. 1. *Pueros* solere offerri a parentibus non solum Monasterio, sed etiam Episcopis, ad clericatum suscipiendum. 2. Nec tantum natos; sed et illos interdum, qui adhuc in utero matris laterent. 3. Coelestinum citatato capite modum imposuisse huic disciplinae, sed dici non posse, eam abrogasse.

Religionis aliquod adprobare; sed ad confusionem in Ecclesia vitandam, post Lugdunense Concilium anni 1274, id iuris Sedi Apostolicæ reservatur (2).

Ex voti natura consequitur 1: ut nulla haberi debeat Religiosa professio, quæ non sit a vi, metuque libera. 2: vel nisi qui profitetur sit huiusmodi obligationis capax, ut servus renuente domino, Episcopus sine venia Summi Pontificis, coniux reluctante altero coniuge post consummatum coniugium; minor demum ex Tridentina Synodo annis sexdecim. 3: nulla est professio ubi tanti momenti rei plena desit cognitio: unde tyrocinii per integrum saltem annum necessitas cum gestatione habitus, et vita inter Monasterii claustra.

Ut vero de ea, quam diximus cognitione, ac libertate facilius constet, plura sunt a S. Trid. Synodo constituta *Sess.* 25 *de Regularibus et Monialibus*; ac 1: anathemati ea subiecit omnes tam clericos, quam laicos cuiuscumque dignitatis fuerint, si fœminam quamvis, præter quam in casibus in iure expressis, quomodocumque coegerint, vel ad ingrediendum solummodo monasterium; vel huius criminis participes fuerint; quam excomunicationis pœnam non effugient, qui fœminarum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo si-

(2) Primus Innocentius III. in Concilio Lateranensi *Cap. fin. de Relig Domib.* decrevit, ut qui voluerit religiosam domum de novo fundare, REGULAM, et institutionem accipiat de APPROBATIS.

ne iusta causa impedierint. 2. Cavit eadem Synodus, ne mulier ad Professionem, nisi post exploratam illius ab Episcopo voluntatem, admittatur (3).

Renunciationes, et obligationes intra probationis annum, nisi duobus mensibus ante professionem fiant, non sussistunt, et si fiant intra illos menses, nec professio sequatur, irritabuntur (4).

Est autem professio vel *expressa*, quæ coram Abbate, vel alio legitimo superiore Monasteri palam emittitur: vel *tacita*, quæ inducitur ex actibus cum scilicet quis post annum decimum sextum expletum, et post annum probationis gestaverit habitum novitiis, et professis communem, aut cum quis post professionem, sive ratione ætatis nondum iustæ, sive ratione illati metus invalidam, per quinquennium tacuerit, neque contra eam professionem reclamaverit; nam ratam eam habuisse censetur, neque illam rescindere amplius potest, nisi ex iusta causa contra illius quinquennii lapsum fuerit a Summo Pontifice restitutus. At si habitum dimisisset, non antea reclamans audietur, quam si ad Monasterium, et ad suum habitum redierit (5).

Castitatis votum non tantum in eo positum est,

(3) Vid. Fagnanum in *Cap. Cum accessissent, de Constitution.* num. 31.

(4) Con. Trid. *Sess.* 25. *C.* 16 *de Regularib.* Hoc a Tridentinis Patribus statutum est, ne libera tollatur ad egrediendum facultas.

(5) Concil. Trid. Quae judicii forma servanda sit, quoties agitur de valore professionis, praescribitur in Constitutione Benedicti XIV. *Si datam* anni 1740.

ut Regulares domitas habeant libidines, quod Christianis omnibus commune est, verum etiam, ut se a nuptiis abstineant. Porro Regularium matrimonia, quæ initio tantum illicita fuisse videntur, deinceps etiam irrita facta sunt, quod primum in Synodo Romana, constitutum fuisse putat Van-Espenius (6).

Ad *obedientiam* autem Monachorum, tria potissimum desiderat S. Benedicti Regula (7), scilicet ut Monachi pareant suis Præpositis, *sine mora, non tepide, et cum bono animo*.

Paupertatis, quam profitentur causa, nihil proprium habere possunt Regulares, et si quid aliquis habuerit, invito vel inscio Præposito, fracti voti reus utriusque suffragii iure biennio privabitur, et aliis etiam pro criminis gravitate poenis mulctabitur, moriens autem, nisi res omnes numerato dimiserit, sepelietur extra commune coemeterium (8). Atque huc spectat regula quod quidquid acquirit Monachus, ad Monasterium pertinet.

Religionem semel professus, mutare nequit statum, neque transire ad aliam Religionem, nisi arctiorem; propterea neque ex Monasterio potest exi-

(6) *Iur. Eccles. Univ. Part.* 2. *Tit.* 13. *Cap.* 4. *num.* 7. Decretum Romanae Synodi extat apud Gratianum *Can.* 40. *Caus.* 27. Quaest. 1.

(7) Cap. 5. apud Holstenium *Cod. regul. Tom. I. p.* 118. *edit. Augustae Vindelic. an.* 1759.

(8) *Cap.* Super quodam 4. *de stat. Monach. et Concil. Trid. Sess.* 25. *Cap.* 2. *de Regul.*

re sine superioris venia, etiamsi ad maiorem sui Ordinis Præsulatum petatur; nam si sine literis eam veniam continentibus in viam reperiatur, sui Ordinis desertor, et fugitivus appellatur; ideoque punitur (9); quibus deteriores sunt Apostatæ, qui prorsus retinendæ Religionis animum abiecerint. De quibus omnibus plenissime cavit Innocentius XII. inter suas Constitutiones (10).

Nunc Regularis Professionis effectus in pauca contrahamus. Per professionem validam extinguuntur simplicia vota, quæ antea emissa fuerint (11): dirimitur matrimonium ratum, non consumatum: vacant beneficia, si quæ Professus haberet: filius familias liberatur patria potestate, non quidem in damnum, sed in commodum Religiosi, quia transit in potestatem superioris regularis: tollitur irregularitas, ex defectu natalium, quoad sacros ordines suscipiendos, non quoad Prælaturas, aut beneficia curata sine dispensatione.

Monialibus vero ne tantisper quidem, e Monasterii claustris exire licet, nisi ex venia Episcopi, caussa cognita: puta si Abbatissa præstatione iuramenti agnoscere debeat directum dominum, a quo Monasterium suum possideat feudum (12), vel si

(9) Vide Benedict. XIV. de Syn. Dioec. *lib.* 13. *Cap.* 11. *et* Trid. Syn. *ses.* 25. *c.* 4. *de Regular.*
(10) Vide Lucii Ferraris Bibliothec. verb. *Apostasia etc.*
(11) *Cap.* 4. *de vot. et vot. redempt.*
(12) Cap. *Periculoso*, §. *verum de statu Regular. in* VI.

vis maior, quæ a natura immineat, vel ab hominibus, puta incendium, bellum, et similia, quæ necessitate sua superant legum potestatem (13); neque fas est ulli sub excommunicationis pœna ad Moniales introire sine Episcopi venia, quam concedet ex iustis, et necessariis causis, puta servitii communis, vel valetudinis, vel salutis animarum; quarum ratione, præter communem, et ordinarium Confessarium, obtinere debent Moniales bis, aut ter in anno extraordinarium, cui præcordia sua liberius patefaciant (14). Quoniam autem sexus imbecillitas, et insidiarum pericula præsentem custodiam poscunt, ideo Monialium regimen totum permissum est Episcopis vel ut Ordinariis, vel ut Sedis Apostolicæ Delegatis: si Monasteria sint exempta, et Sedi Apostolicæ immediate subiecta, nisi vel a Capitulis deputatis regantur, vel ab aliis Regularibus (15).

Ad electionem Præsulum Regularium quod attinet specialia quædam sanciuntur a Concilio Tridentino; nam vetuit publicari eligentium nomina, iussitque, ut maior tantum numerus prævaleret: nam, suppressis nominibus, ignoratisque meritis eligentium, tantum numerus cum numero, non merita cum meritis conferri queunt; eodemque capite a Tridentinis Patribus in electione regularium

(13) Vid. in cit. Cap. *Periculoso*.
(14) Concil. Trident. *sess.* 25. *C.* 10 *de Regular.*
(15) Concil. Trident. *Cap.* 9. *l. c.*

sublatæ censentur electiones per inpirationem, et per compromissum, ut Sacra Congregatio declaravit. Cavit item eadem Sacra Synodus, ne Abbatissæ, aut Priorissæ, aliæque Monialium Præfectæ creentur, nisi quadragenariæ, et quæ octennium saltem Religiosæ Peofessionis exegerint; vetuitque, ne Episcopus, aut qui eius mandatu præest electionibus Monialium Claustra earum ingrediatur, sed iussit, ut e fenestella suffragia colligat, et præsit electionibus. Sacra item Congregatio Cardinalium cavit (16), ne in electionibus Præfectarum Monialium Provincialis Ordinis, aut alius quivis regularis virilis sexus suffragium suum misceat. In Italia, non licet Abbatissas eligere, nisi ad triennium: neque eam, quæ electa jam fuit, iterum eligere permittitur, nisi triennium aliud ab officio vacaverit.

(16) Die 7. Martii 1677.

Finis libri primi.

LIBER II.

TITULUS PRIMUS

De rerum Ecclesiæ divisione.

Rei nomine indicatur id, quod cum per se nec agere, nec intelligere, nec velle possit, materiam tantummodo præbet, circa quam personarum versantur actiones. Ad Ecclesiam quod attinet, res aut *spirituales* sunt, quæ ad æternam spectant animarum salutem, veluti Gratia Divina, Sacramenta, Virtutes etc. aut *temporales*, quæ utilitate, bonisque ad mortalem hanc vitam pertinentibus continentur, ut Decimæ, Oblationes, Ecclesiæ proventus etc. Inter eas vero medium quodammodo locum tenent quæ *sacræ* in specie dicuntur, quibus nempe sacro Ministerio dicatis consecratio quædam adiicitur, vel benedictio, ut Altaria, Vasa, Vestes, aliaque huiusmodi, quæ ad S. Sacrificii, Religionisque ritus perficiendos adhibentur.

Aliæ quoque *corporeæ* sunt res, aliæ *incorporeæ*: Illæ sensus nostros afficiunt, sive *temporales* eæ sint, sive *spirituales*; hæ vero sensibus nequaquam obnoxiæ animo tantum percipiuntur.

Ut autem in his pertractandis aliquem servemus

ordinem, primo de spiritualibus rebus agemus, mox de sacris, tertio de iis, quæ spiritualibus, ac temporalibus constant simul iunctis, et quarto demum de mere temporalibus, ita ut in unaquaque percensenda rerum istarum specie de corporeis, incorporeisque in ea contentis disseramus.

TITULUS II.

De Sacramentis in genere Trid. Syn. Ses. 7.

Inter spiritualia, quæ corporis quoque sensus afficiunt, primo loco habentur *Sacramenta* (1), *vel signa quædam sensibilia invisibilis gratiæ ad iustitiam assequendam, fovendam, vel recuperandam Divinitus instituta*.

Eorum igitur alia vel Gratiam Dei, qua num-

(1) Apud Latinos pecunia, quam litigantes in loco sacro ea lege deponebant, ut victor pecuniam suam auferret, victus vero aerario relinqueret, *sacramenti* nomine appellabatur; item jusjurandum, et id quod jurejurando affirmatum esset: ideoque sacramentum militare dicebatur jusiurandum, quo milites Imperatori fidem adstringebant suam. Sed Ecclesiastici Scriptores Sacramentum vocant aliquando rem quamlibet arcanam, et occultam; et etiam quemlibet Sacrum ritum. At Sacramentum proprie dictum novae Legis est signum sensibile rei sacrae ad Deo ad homines sanctificandos institutum, vel ut ait Gratianus in *Can.* 32. *dist.* 2. *de consecrat. est invisibilis gratiae visibilis forma*. De sacramentis Ecclesiae plures tractant quaestiones Theologi, quae ad Canonistas minime pertinent, cum proprium eorum munus sit ea tantum exequi quae canones in Sacramentorum administratione servanda praecipiunt, ut recte animadvertit Selvagius Instit. Can. *Lib.* 2. *Tit.* 2.

quam insignitus quis fuerat, conferunt, vel amissam restituunt, et absolute necessaria dicuntur, veluti Baptisma, et post læthale animæ vulnus Poenitentia; alia vero Gratiam ipsam, qua quis fruebatur, augent, atque ad æternam acquirendam salutem apprime utilia, et necessitate ut aiunt, praecepti, necessaria sunt, et cunctis Fidelibus communia, ut Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio. Duo vero postrema Sacramenta Ordo scilicet, et Matrimonium, Clericorum, Laicorumque tantummodo propria sunt, augent gratiam, et quoniam singulis Ecclesiæ membris necessaria non sunt, sed pro cuiusvis arbitrio, et dispositione dantur, dici solent *Voluntaria*. Insuper ea vel Characterem (2), idest spirituale quoddam, et indelebile signum imprimunt, cuiusmodi sunt Baptisma, Confirmatio, et Ordo, atque unica tantum vice sumuntur; vel Characterem non imprimunt, ac pro necessitate vel utilitate Fidelium iterari queunt.

Hæc omnia sacramenta iuxta celeberrimum Eugenii IV. Decretum post finem Florentini Concilii editum, tribus perficiuntur, scilicet rebus sub sensus cadentibus tanquam *materia*, verbis, seu conceptis formulis tamquam *forma* (3), et *persona Mi-*

(2) *Caracteris* nomine primus usus est Innocentius III. in celebri *Cap.* 3. *de Baptis.*

(3) Primus in re Sacramentali *materiae et formae* voces usurpasse videtur XIII. saeculo, Guilelmus Antisiodorensis, quem Latini omnes deinceps secuti sunt.

nistri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.

Materiam in *remotam* Scolæ distinguunt et *proximam*, quarum hæc in usu remotæ seu elementi, ut vocarunt veteres, omnino consistit. Ita ex. gr. aquam in Sacramento Baptismatis remotam materiam dixeris, proximam autem ablutionem ipsam corporis. De oleo, et sacra unctione infirmorum idem dicendum, et sic de cæteris.

Forma item alia *pura* dicitur, seu conditione vacans, alia *conditionalis*, et hæc ad ea sacramenta pertinet, quæ nefas est iterare, adhibeturque in dubiis ad amovendum tanti sacrilegii periculum (4).

Minister demum is esse debet, ut et potestatem habeat conferendi Sacramentum, de quo agitur, et eo animo, ac voluntate sit, ut saltem id velit dum Sacramentum administrat, et conficit, quod intendit Ecclesia. Huc pertinent quæ contra Novatorum errores statuit Tridentina Synodus in Canonibus X. et XI. Sess. 7.

Unde si quis infidelis, qui neque Christo credit, neque Ecclesiæ cum aliquem baptizat, facere velit,

(4) Vetus Ecclesiae praxis fuit, ut ea sacramenta, si de illorum validitate prudens dubium extitisset, de integro conferrentur; ex quo tamen inferri minime debet fuisse iterata, cum plena deficeret probatio eorumdem rite peractae administrationis; quadere hoc inter veterem, et novam disciplinam intercedit discrimen, quod antiquitus conferebantur *absolute*, postea vero sub conditione. Formulae *conditionatae* prima mentio occurrit in Capitularibus Regum Francorum, et ubique obtinere coepit statim ac eam praescripsit Alexander III. *in Cap. Dequibus de Baptism.* Vid. *Benedict. XIV. de Syn. dioec. Lib.* 7. *Cap.* 6. *et* 15.

quod in Ecclesia perspexit, is Baptismum utiliter confert. Ex tribus autem voluntatibus, sive intentionibus, quæ a Scholasticis dicuntur, habitualis, virtualis, et actualis, *habitualis* quidem est inutilis, et ne intentionis quidem nomen meretur; quippe in corporis tantum ad agendum facilitate consistit: *actualis* non necessaria: unde ad validitatem Sacramenti exigitur *saltem virtualis*, sive, quæ ita Sacramentum antecedat, ut ex illius vi actus Sacramenti sequatur.

Conferunt vero Sacramenta gratiam (5), suapte vi, sive quatenus Sacramenta sunt, non quatenus elementa, atque conferunt, ut verbis Theologorum utar, *ex opere operato*. Damnata est enim Lutheri, et Calvini sententia, qui efficaciam Sacramentorum non a sacramentis ipsis, sed a suscipientium fide deducebant. An vero ad conficienda valide Sacramenta sufficiat nec ne intentio tantum ponendi ritum externum, nondum est ab Apostolica Sede definitum (6).

Sed et *subiectum*, id est *persona, cui sacramentum administratur*, oportet ut sit sacramenti capax, et voluntatem aliquam, seu intentionem habeat il-

(5) Eugenius IV. Pontifex Maximus in Decreto ad Armenos, ibi: *Sacramenta veteris Legis non causabant gratiam, sedeam solum per passionem Christi dandam figurabant. Haec vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.* Consonat Tridentinum *Sess.* 7. *Cap.* 2. *de Sacram.*

(6) Benedict. XIV. *de Syn. Dioeces. Lib.* 7. *Cap.* 4.

lud suscipiendi. Nam in adultis actio humana utrinque omnino esse debet Sacramentorum administratio. Hinc intelligitur quid de amentibus, aut dormientibus, aut invitis Sacramenta suscipientibus sentiendum sit (7).

In hisce omnibus retinenda perpetuo est Tridentinæ Synodi Regula, quæ Cap. 2. Sess. XXI. declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione *salva illorum substantia* ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire iudicaret.

De Sacramentis in genere satis hactenus; nunc de omnibus, quæ nec plura, nec pauciora sunt, quam septem, singillatim (8).

TITULUS III.

De Baptismo, et eius effectu Tit. 42. Lib. 3. Trid. Sess. 7.

Baptismi vocabulum venit a græco verbo Βαπτίζειν, quod ert mergere, abluere, et est *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo, quo nempe per*

(7) De his omnibus, ut etiam de parvulorum baptismate cavetur in citato *Cap. Maiores* 3. *de Baptism.*
(8) Concil. Trid. *Can.* 1. *Sess.* 7. *de Sacrament.*

exteriorem ablutionem corporis, intus in Christo renascimur, et Sanctorum, id est Ecclesiæ cives efficimur.

Unde 1. originalis macula, quæ veram peccati rationem habet, in omnibus; et in adultis rite dispositis scelera quævis tam quod ad culpam, quam quod ad pœnam per Baptismum delentur, quod tamen de spiritualibus pœnis, non de civilibus est accipiendum.

2. Ianua Sacramentorum habetur recte Baptismus, atque hinc ea, quæ alibi diximus de Presbytero non baptizato.

3. Baptizatus tam fidei, quam legis universæ cum divinæ, tum ecclesiasticæ fit debitor (1).

4. Idem quoque gaudet bonis, et iuribus christianæ societati communibus: neque iis sine culpa sua exui potest; id enim æquitas, et ratio postulat.

5. Hinc efficitur ut reus criminis, præsertim vero desertor fidei puniri queat, utque errent ii, qui asserunt non alia pœna esse afficiendum, nisi ut ab Eucharistia, aliorumque Sacramentorum perceptione arceatur (2).

6. Congruum est, ut ex Baptismate spiritualis cognatio exoriatur, de qua in Tit. *de triplici Cognatione.* Præterea congruum item quod in Rituali Rom.

(1) Trid. Ses. 7. Can. 7, et 8.
(2) Ibid. Can 14.

præscribitur, ne ullus in matris utero *omnino* clausus baptizetur (3).

7. Demum ex charactere consequitur, ut ne Apostatæ quidem ministrandum iterum sit Baptisma, si resipiscat (4).

Baptismi remota *materia* est aqua naturalis, qua nil esse potest communius; proxima ablutio corporis; quamvis nil referat an ablutio fiat per unicam, an per trinam *immersionem*, (5) quæ disciplina teste S. Thoma decimo tertio sæculo adhuc erat communior, ut vetera Baptisteria demonstrant, an per *aspersionem* aquæ, dummodo ea caput saltem hominis aliquantisper abluatur, an per *effusionem*, quo ritu nunc utimur.

Forma Baptismi ea est, quam præscripsit Christus ubi misit Apostolos in universum orbem terrarum iubens, ut docerent, et baptizarent omnes gentes in *nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (6): unde collecta est hæc formula: *Ego te baptizo*, *in*

(3) In hanc rem consule Bened. XIV. Syn. D. *Lib.* 7. *Cap.* 5.

(4) Trid. *ibid. de Bapt.* Can. XI.

(5) Sub finem saeculi XIV. evanuit apud Latinos ritus baptizandi *per immersionem*, et obtinuit usus conferendi baptismum per *effusionem*. Multiplex ratio fuit, cur Latina Ecclesia antiquum morem in alium commutaverit. Primo enim, ubi in Ecclesiis deiit Diaconorum copia, Ministri vix potuerunt baptizandos praesertim adultos immergere: secundo, cum parvuli recens nati maiorem constituerent baptizandorum numerum, periculum fuit, ne ex eorum immersione valetudini aliqua labes inferretur. Demum Ecclesia tam Ministrorum, quam suscipientium baptismum pudori cônsulere voluit, cum non amplius extarent Diaconissae, quibus foeminas baptizandas immergendi cura incumbebat antiquitus.

(6) Matth. *Cap. ult.* et Marc. *C. ult.*

nomine etc. Sed ut perpetuo damnaretur Novatianorum error, qui a Ministri fide petebant Sacramenti vim, hæc invaluit apud Græcos Ecclesiæ probata formula: *Baptizatur* N. in *nomine* etc. Sed in utraque formula satis exprimitur actio, quæ perficitur, quod necessitatis est (7). Licet autem conferre Baptismum omni lingua, dum idem quod latine significetur: imo et aliqua syllabarum corruptio excusatur, si non dolo, sed imperitia fiat (8).

Baptisma, utpote Sacramentum maxime necessarium vel *in re*, ut aiunt, vel *in voto*, suscipiendum, urgente necessitate, a qualibet manu licite

(7) Invaluerat in Galliis consuetudo, ut Laici, absente Sacerdote, baptizantes, haec tantum verba pronunciarent *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, omissis illis, *egote baptizo*. Hinc saeculo XII. orta est controversia an pueri sic baptizati rebaptizandi essent. Pontius Claromontanus Episcopus consuluit Mauricium Episcopum Parisiensem, et Stephanum, qui fuit postea Tornacensis Episcopus. Mauricius non valere baptismum ita collatum affirmabat. Stephanus vero ad Sacramenti baptismi substiantiam ea verba non requiri contendit, adeoque validum baptismum pronunciavit. Hanc controversiam, eodem saeculo XII. definivit Summus Pontifex Alexander III. in *Cap. si quis de Baptism.* his verbis: *si quis puerum ter in acqua merserit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, amen; et non dixerit, ego te baptizo etc. non est puer baptizatus.*

(8) Perspicuam hac de re sententiam reddidit Sanctus Zacharia Summus Pontifex in Epistola numero sexta ad Bonifacium Episcopum Moguntinum a Gratiano relata in Can. *Retulerunt dist. 4. de Consecrat.*, cuius haec sunt verba. *Retulerunt Nuntii tui, quod fuit in eadem Provincia Sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat; et dum baptizaret, nesciens loqui latine, infringens linguam diceret:* BAPTIZO TE IN NOMINE PATRIA, ET FILIA, ET SPIRITUA SANCTA. *Sed si ille qui baptizavit, non errorem introducens, aut haeresim, sed pro sola ignorantia Romanae locutionis, infringendo linguam ... hoc baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizetur.*

confertur; itaque in repentina, et subita re, nempe morte imminente, legitimus Baptismi *Minister* est homo quilibet, et parentes ipsi, qui genuerunt (9), excepto ipso baptizando (10), sive baptizans Sacerdos sit, sive clericus, sive laicus, sive fœmina, sive hæreticus, sive Iudæus, aut Paganus, dummodo facere intendat quod facit Ecclesia, et debita materia, formaque utatur (11). Semota vero necessitate, iure Ordinario Minister Baptismi legitimus, et princeps est Episcopus, et Sacerdos, et ex eorum consensu Diaconus. Gradus tamen sunt constituti, quibus ad quemque ordinem, cum opus est, baptizandi facultas deveniat: nempe ut si desit dignior descendat ad minus dignum ministrum.

Licet autem unum sit Sacramentum Baptismatis, quod utpote constans ex aqua, et verbo dicitur *fluminis*, huius tamen vices supplere potest Baptismus tam *sanguinis*, quam *flaminis*, de qua distinctione fusius agitur in aureo libro, qui inscribitur *Catechismus ex decreto Concilii Tridentini ad Parochos.*

Præter ministrum operam suam in huiusmodi Sacramento præbent Patrini, qui fidem infantium in se suscipiunt, seque sponsores, ac fideiussores pro iis, vel etiam pro adultis offerant (12). Quamo-

(9) Can. *ad limina caus.* 30. *quaest.* 1.
(10) Cap. *Debitum* 4. *hoc. tit.*
(11) Can. *Romanus* 23. *Dist.* 4. *de Consecr. et Can.* 25. *ibid.*
(12) Unicus Patrinus jure communi offerre debet Sacerdoti baptizandum; alicubi tres etiam adhibiti fuere ad SS. Trinitatis my-

brem eorum est spiritualium filiorum in fide, ac moribus institutioni sedulo incumbere. Hinc idonei tantum sunt ad hoc munus assumendi, nec recipiendi hæretici, nec qui ordini suo unice vacare, aliisque curis abstinere debent: unde excluduntur Regulares (13).

Porro Baptismi capaces habentur omnes volentes, aut non repugnantes, quales infantes sunt; qui etsi assentiri nequeant, profitentur tamen per patrinos (14): et baptizantur in fide totius Ecclesiæ Catholicæ. Si autem invitis parentibus baptizentur, verum Baptismum recipiunt: quamvis per vim ab infidelibus filii non sint abstrahendi, sed christiana persuasione, atque charitate leniter inducendi, quæ Catholicorum est sententia. Adulti autem etiam in somnum, aut in furorem versi baptizari possunt, dummodo ante somnum, et fororem Baptismi desiderium ostenderint (15); et muti etiam, et surdi, et ægroti, dum pro iis alii profiteantur (16). Item oportet, ut adulti suimetipsorum compotes Baptismo expresse consentiant, quæ dicitur dispositio ad

sterium indicandum. Concilium vero Tridentinum decrevit, ut in baptismo ad summum duo Patrini adhibeantur masculus, et foemina, sive mas, sine foemina baptizetur; non autem duo viri, neque duo mulieres; primis tamen Ecclesiae saeculis statutum fuerat, ne viri foeminas, neque foeminae viros in baptismo tenerent, modestiae causa; tunc enim mos erat baptizandi per *immersionem*.

(13) *Can.* 103. *et* 104. *Dist.* 4. *de Consec.*

(14) *Can.* 74. *et seq. Dist.* 4. *de Cons.*

(15) Cap. *Maiores* h. T sup. laud. §. *item quaeritur*.

(16) *Can. Parvuli et seq. Dist.* 4. *de Cons.*

Baptismum, paratique esse debent ad recipiendum, quod Christus instituit.

Ut autem Baptismus adultis vere collatus possit esse saluber, in doctrina, et vera fide ii debent institui: unde orta est Catechizandi ratio, quæ Schola et institutio baptizandorum, quorum Catechumenorum tres erant gradus *auditorum* nempe, sive *tyronum*; secundus gradus *erat genuflectentium,* vel *substratorum*, eorum nimirum, super quos in genua provolutos, remotis audientibus, peculiares preces ac ritus adhibebantur: tertius *competitorum*, hoc est simul cum aliis Baptismum, ad quem suscipiendum idonei habebantur, petentium. Quartum addit Wan-Espenius eorum, qui privatim erudiebantur, de quibus S. Augustinus in Libro *de catechizandis rudibus* (17). Ita vero cum Catechumenis res agebatur, ut per Canonem quintum Noecæsariensem, *genuflectens* in culpam prolapsus audiret, *auditor* vero expelleretur.

In privatis domibus non licet, nisi magna ex necessitate, aut ob summam personæ dignitatem aliquem baptizari (18).

(17) Vid. Ioan. Devoti *Inst. in Not. h. Tit.*

(18) Clementin. unic. h. t. Prohibitio baptizandi extra Ecclesiam, aut in privatis aedibus originem trahit ex Can. *Omnis de Consecrat. dist.* 4. Nascente enim Ecclesia, praesertim ad Tyrannorum persecutiones fugiendas, in fluminibus, vel fontibus baptisma ministrabatur. Mox paulatim baptisteria in privatis aedibus aedificari coeperunt, deinde extra urbes, donec pace Ecclesiae data, in Porticu intra urbem translata fuere, ac demum in Ecclesia.

Plures autem ritus in solemni Baptismi administratione servandi sunt, quales decent tanti Sacramenti maiestatem, virtutemque, ut insufflatio, Unctio Sacra, abrenunciationes, et cæteri, quorum semper meminisse iuvabit ut filii Dei nominemur, et simus. Unde si cui privatim administratum Baptisma fuerit, supplendum erit in publica Ecclesia, quod urgente necessitate fuerat prætermissum (19).

TITULUS IV.

De Confirmatione Tit. 15. Lib. 1.

Confirmatio Sacramentum est novæ legis, quo per *frontis chrismationem, qua manus impositio designatur* (et aliquo pacto peragitur), *Spiritus S. ad augmentum* (iustitiæ) *datur, et robur*. Hinc huic Sacramento factum *Confirmationis* nomen, licet a veteribus *Chrismatio*., frequentius etiam *manuum Impositio*, et *Perfectio* diceretur.

De *materia* huius Sacramenti nihil a Tridentina Synodo definitum legitur; quatuor tamen constant ex eius canonibus, ac decretis ad fidem spectantibus, 1: Confirmationem esse vere Sacramentum a Christo Domino institutum; 2: characterem imprimere; 3: non esse iniurios Spiritui S., qui Sacro

(19) Vid. Rit. Rom. hoc Tit.

Chrismati aliquam virtutem tribuunt (1), 4: huius mipistrum *ordinarium* esse solum Episcopum, quod in Canone tertio definitum est; *extraordinarium* vero, ex delegatione expressa, vel tacita, ut apud Graecos, summi Pontificis simplicem Sacerdotem, qui Chrismate utatur quod Episcopus consecraverit (2).

Cum vero quæ sit materia Confirmationis *de fide catholica* nondum constet, videtur consequens, ut ne de *forma* quidem, quæ materiam morali saltem modo comitari semper debet, nihil sit quod ad fidem Catholicam pertineat. Ac profecto in vetustioribus Liturgicis libris vix reperitur formula: *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine* etc., in qua tamen plures Catholicorum *formam* Confirmationis, nec sine gravi ratione cum Catechismo Romano ponunt.

Conficitur autem Chrisma ex oleo, et balsamo

(1) Trid. *Sess.* 7 *de Confirmat. Can.* 1. *et* 2. *de Sacram. in gen.*

(2) De mandato Pontificis simplicem Sacerdotem posse Sacramentum Confirmationis administrare, quamvis olim dubitatum fuerit, nunc certum esse dicendum est; et hoc in casu simplex Sacerdos, ut supra diximus, uti debet chrismate ab Episcopo benedicto. Cum autem nunc Romanus Pontifex ex consuetudine in tota latina Ecclesia jamdiu recepta, tacite facultatem sibi reservaverit delegandi Presbyterum ad Confirmationis Sacramentum ministrandum, tenendum est, Episcopum jurisdictione carere ad delegandum, et propterea irritam esse Confirmationem collatam a Presbytero Latino sola Episcopi delegatione. Si vero de Presbyteris Graecis loquamur, dicendum est Confirmationem ab ipsis collatam in locis Graecorum, in quibus mos iste expresse non est ab Apostolica Sede improbatus, validam esse ex tacito consensu Pontificis.

per consecrationem ab Episcopo singulis annis feria quinta in Cœna Domini (3).

Et quia olim simul cum Baptismo Confirmatio suscipiebatur (4), uti etiam nunc apud Orientales, et quandoque apud nos ab adultis suscipitur; ideo etiam superest, ut susceptores seu Patrini adhibeantur, et inde oriatur spiritualis cognatio.

Et quamquam vel infantibus administrari ex gravi causa hoc Sacramentum possit, cautum tamen sapienter est, ut ad rationis usque usum, nempe ad septennium, ut plurimum differatur (5).

TITULUS V.

De celebratione Missarum, et Sacramento Eucharistiæ etc. Tit. 41, et 44. L. 3.

Eucharistia, quæ græce significat gratiarum actionem, vel tamquam unicum novæ legis proprium, et propitiatorium *Sacrificium*, incruentum licet, vel ut *Sacramentum* inspici potest (1).

Primo quidem sensu dicitur *solemnis actus, quo*

(3) Can. *Siquis de alio dist. 4. de Consecrat. Cap. Quoniam de Sententia excomunicat. in 6. Cap. unic. de Sacr. unction. §. Quia vero, vers. ante baptismum.*

(4) Haec disciplina, non solum in adultis, sed etiam in infantium baptismo servabatur, et mos iste baptismum, et Confirmationem simul conferendi, IX. et X. Saeculo paulatim obsolevit.

(5) De hoc qui plura cupit, adeat Synod. dioeces. Benedicti XIV. *Lib. 7. a Cap. 6. ad 9.*

(1) *Dist. 1. Can. XI. et tot. Dist. 2. de Consec.*

Presbyter ex pane, vinoque, nonnullis aquæ guttis admixtis, formulaque usus a Christo Domino instituta verum eiusdem Christi corpus, et Sanguinem conficit, Deoque pro se, omnique Ecclesia offert. Ea vero panis et vini conversio in Corpus, et Sanguinem Christi *Transubstantiatio* proprie vocatur (2).

Ergo SS. Eucharistiæ *materia* panis triticeus, et vinum e genimine vitis, *forma* ipsa Domini verba, qui in extrema coena hoc Sacramentum instituit; et sub iisdem speciebus semetipsum Patri obtulit nempe: *Hoc est Corpus meum: Hic est calix Sanguinis mei etc.; Ministri* demum rite ordinati Sacerdotes.

Sacrificium, de quo agimus cum celebrantis communione iunctum *Missæ*, seu *Missarum* appellatione solet indicari (3); et quamvis in Ecclesia universa unum idemque sit, diversis tamen ritibus va-

(2) Vid. Conc. Trid. *Sess.* 13. *et* formul. prof. fidei Pii IV.

(3) Nomen *Missa* a *mittendo*, idest dimittendo populo factum. Cardinalis Bona *Rer. Liturg. Lib.* 1. probat Missam significare *missionem*, seu *dimissionem*. Primis Ecclesiae Saeculis variae exortae sunt liturgiae, et percelebres sunt illae, quae S. Basilio et Chrisostomo tribuuntur. Liturgias vero quae Iacobi, Matthei, et Marci nomen praeseferunt apocryphas esse exploratum est. Imperio Occidentis vero in plura Regna diviso, ortae sunt liturgiae, quae peculiares fuerunt singulis nationibus. Tales fuere Gallicana, et Hispanica, quae appellabatur *Mozarabica*. Occupata enim ab Arabibus Hispania, Christiani *Mix-tarabes* dicti, quod essent Arabibus mixti, et corrupta voce *Mozarabes*. In Italia Liturgia Romana, et Ambrosiana principem habuerunt locum; ista Mediolanensis Ecclesia, illa vero Romana utebatur. Adhuc pristinae disciplinae reliquiae supersunt, cum Ecclesiae Mediolanensis retineat Ambrosianum ritum, et aliquot Hispanicae Ecclesiae usurpent Mozarabicum.

riis in locis perfici consuevit (4), quorum ille præcipuus, ut Græca Ecclesia fermentato pane, Latina vero azymo utatur (5).

Cuilibet autem Sacerdoti, dummodo si peregrinus fuerat commendatitias sui Episcopi literas habeat (6), singulis diebus semel, ac mane, excepto die Nativitatis Domini (7) accensis luminibus, vasibus adhibitis aureis, argenteis, aut stamneis, candidisque lineis velaminibus illud celebrare licet.

(4) Missa duas ex veteri disciplina continebat partes, quarum prima appellabatur *Missa Cathecumenorum*, altera vero *Missa Fidelium*. Missa Cathecumenorum complectebatur preces omnes ante oblationem. Huic Missae omnes etiam Ethnici poterant interesse ex Concilio Chartaginensi IV. Sed finita praedicatione dimittebantur; hinc a Cathecumenis haec Missa videtur nomen accepisse. Missa vero fidelium incipiebat ab oblatione, et preces omnes complectebatur usque ad finem. Finita Missa Cathecumenorum, mos obtinuit in Ecclesia antiquitus, ut fideles ad Altare offerrent panem, et vinum; receptis autem oblationibus, solebant per Diaconum recitari offerentium nomina.

(5) Patres Generalis Concilii Florentini, in quo inter Latinam, et Graecam Ecclesiam unio, et pax facta est, definierunt *in azimo, sive in fermentato pane triticeo Christi Corpus veraciter confici*. Fermentatum panem Graecos semper adhibuisse, liquet ex eo quod non possit assignari tempus, quo relicto azimo, fermentatum usurpare coeperint. At quaestio perdifficilis est, an Ecclesia latina olim panem azimum vel fermentatum adhibuerit. Alii namque volunt ritum consecrandi Eucharistiam in pane azimo semper fuisse in latina Ecclesia, ut Christianus Lupus, et Mabillonius. Alii contendunt per octingentos, et amplius annos generatim in Ecclesia obtinuisse fermenti usum; apud Latinos vero receptum azimum, medio tempore inter Photianum schisma, et turbas Michaelis Cerularii; Ita Iacobus Sirmundus. Alii denique inter has sententias medii incedentes opinantur Latinos a temporibus Apostolorum ad nonum usque saeculum, indifferenter panem vel azimum vel fermentatum consecrasse; quae postrema sententia probabilior apparet, et a Cardinali Bona defenditur. *Rer. Liturg. Lib.* 1. *Cap.* 23.

(6) *Dist.* 98. *per tot. Tit. Decretal.* 22. *Lib.* 1. *de Cleric. Peregrin.*

(7) Can. *Nocte* 48. *Dist. I. de Cons.*

Eucharistiæ vero Sacramentum *est Corporis*, *et Sanguinis Christi a Sacerdote consecrati ad spiritualem animæ refectionem divinitus instituta perceptio.* Quamquam etiam ante perceptionem, consecratione peracta, Sacramentum est, ac permanet. In hodierna latinæ Ecclesiæ disciplina solis celebrantibus utramque speciem sumentibus, cæteris vel extra Missam a quocumque Presbytero (paschali et infirmorum excepta communione, quæ proprio iure adhuc ad Parochum pertinet) sub unica specie panis præbetur.

Christifideles laici semel in anno tempore Paschatis (8); Monachi, Monialesque singulis saltem mensibus (9) Eucharistiam sumere; Sacerdotes diebus saltem dominicis, festisque solemnibus Missam celebrare debent (10). Præterea cum quis in mortis periculum inciderit communicare tenetur, quæ communio *Viaticum* dicitur. Hanc ob causam iubentur Parochi Eucharistiam semper habere paratam (11), eamque diligentissime custodire.

Non secus ac celebrantes, omnes qui accedunt ad hoc Sacramentum esse debent iustificati, et exceptis ægrotis, ieiuni omnino (12) ac ab eo exclu-

(8) Celebre cap *Omnis utriusque* 12. *de Poenitentiis*, *et Remiss.*

(9) *Sess.* 25. *cap.* 10. de *Regular*, Trid., Clem. 1. §. 2. *de statu Monachor.*

(10) Trid. *ses.* 23. *c.* 14. *de Ref.*

(11) *Can.* 93. *D.* 2. *de Consecr. cap.* 1. *et* 10. *h. Tit.* Trid. *sess.* 13. *c.* 6.

(12) Hoc sancitum fuit in Concilio Cartaginensi IV. non solum

duntur apud nos infantes, ubique vero furiosi, hæretici, excomunicati, nausea, vel vomitu laborantes, et publici peccatores (13).

TITULUS VI.

De Pœnitentia. T. 38. Lib. V.

Pœnitentia, hoc loci, est *Sacramentum iudicii ad instar institutum, quo per contritionem cordis, oris confessionem, et operis satisfactionem, quis a peccatis post Baptismum admissis solemnibus Ministri verbis absolvitur, amissamque iustitiam, sanctitatemque recuperat*.

Tres igitur poenitentis actus, quos diximus, sunt huius Sacramenti partes, et *quasi materia*, absolutionis verba *formam* constituunt (1), *Ministri* vero sunt approbati ab Episcopo Sacerdotes, quos Christus *sui vicarios* reliquit, tamquam præsides, *et iu-*

in tanti Sacramenti venerationem, sed etiam ut omnes intemperantiae occasiones vitari possent. Can. *Liquido dist.* 2. *de Consecr. et Can. Sacramenta dist.* 1. *eod.*

(13) Vid. Ritual. Rom. *de Sacr. Euch.* et Catechism. Rom.

(1) Contendunt multi eruditi viri, post doctissimum Morinum, formam absolutionis, quam Sacerdos in tribunali poenitentiae adhibebant, fuisse in Ecclesia Latina ad duodecimum usque Saeculum dumtaxat *deprecativam*, quali nunc etiam utuntur Graeci, non vero *indicativam*, sicut modo usurpatur. Quidquid sit de hac Morini, aliorumque sententia, certum est ex D. Thoma, Saeculo decimotertio in latina Ecclesia formam absolutionis fuisse indicativam.

dices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint (2).

Contritio, quæ primum locum inter dictos poenitentis actus habet, est *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*. Si de peccato conceptus dolor e perfecta in Deum charitate proficiscatur *perfecta Contritio* dicitur; atque hæc hominem Deo reconciliat priusquam hoc sacramentum suscipiatur; sed ipsa reconciliatio contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur non est ascribenda. Quod si dolor a charitate quidem in Deum excitetur, sed ad eum charitatis gradum non perveniat, qui hominem extra sacramenti actum Deo reconciliet; adiuncto tamen sacramento ad impetrandam peccatorum remissionem sufficit: atque hanc *minus perfectam contritionem* veteres Scolæ *Attritionem* dixere. At lapsu temporis invaluit, ut *Attritionis* nomine is intelligeretur dolor, qui vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, et poenarum metu communiter concipitur. Hinc inter Theologos concertationes, hinc turbæ, quas Benedictus XIV. commemorat (3). Sed laudanda hic est iterum Tridentinorum Patrum gravitas, atque prudentia, qui statuerunt huiusmodi attritionem donum Dei esse, et Spiritus S. nondum inhabitantis, sed moventis im-

(2) Trident. *Sess.* 14. *cap.* 2. *et* 5.
(3) De Syn. Dioec. *Lib. VII. C.* 13.

pulsum, et peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiæ impetrandam *disponere, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ* (4).

Iudicium incognita causa exerceri nequit, nec potest pariter æquitas in poenis iniungendis servari. Hinc necessaria *Confessio*, id est *post diligens rei ipsius examen humilis, simplex, atque integra, vel occultissimorum gravium criminum Sacerdoti ab ipso reo facta expositio*. Ea semel saltem in anno peragenda est ab omnibus, qui doli sint capaces, vel ut dicitur, ad annos discretionis pervenerint (5). Cumque praeceptum Communionis obliget Paschali tempore, quod intra Palmarum, et in Albis dominicos dies concluditur; ideo et ad id tempus dirigitur Confessio, sine qua nemo criminosus mundatur, ut sit ad Eucharistiam recipiendam idoneus. Præter tempus autem Paschatis sunt alii necessariæ Confessionis casus, ut procul dubio mortis periculum, et proxima susceptio alicuius ex Sacramentis, ad quæ nonnisi pure, atque caste accedere debemus.

Porro Medici mature debent ægrotos ad confessionem hortari, et impellere: idque dum laurea donantur iurant se facturos (6).

Ut vero integra sit Confessio, cætera namque per

(4) Trid. *sess.* 14. *Cap. IV. de Contrit.*
(5) Trid. *de confess. C.* 5. *Cap. omnis sup. tit. de poenit. et remiss.*
(6) Const. S. Pii V. *Supra gregem* 15. Mart. 1566.

sese patent, proferre oportet non solum crimina, sed et modos, sive quas vocant, *circumstantias*, præsertim quæ *speciem mutant* (7).

Confessio Sacerdoti concredita ab eo est alto silentio premenda, obsignandaque *sigillo confessionis*, ut vulgo loquimur: quod Sacerdos qui fregerit, aut violaverit peccatum revelans, in arctum et perpetuum Monasterium carceris loco, postquam deiectus fuerit ab ordine, detruditur (8).

Minister huius Sacramenti præter potestatem Ordinis subiectos quoque habeat oportet, in quos illam exerceat, quæ dicitur *Iurisdictio*, sine qua iudicium est irritum. Hanc habet *universam* quilibet Sacerdos in quemcumque viderit in mortis articulo constitutum (9). Cæterum extra mortis articulum nemo potest absolvere, nisi proprium subditum, et subditus absolvi non potest nisi a proprio Sacerdote.

Proprius autem Sacerdos omnium (10) est Summus Pontifex, Episcopus vero est proprius Sacerdos totius suæ diœceseos, et Parochus suæ Paroeciæ: hique habere dicuntur *ordinariam iurisdictionem*, quæ iis defertur ex ipso munere, quod susceperunt. Præter hos alii iurisdictionem habent iure delegato, seu *extraordinariam*, quales sunt Regulares, quibus Pontificiis Constitutionibus hæc fa-

(7) Trid. loc. cit.
(8) Dict. Cap. *Omnis* 12. *hoc Tit.*
(9) Trid. ib. *Cap.* 7.
(10) *Lib. I. Tit. De Episcop. etc.*

cultas concessa invenitur; quamvis post Concilium Tridentinum nequeat Regularis ullus, qui non habeat officium cum animarum cura coniunctum, eam facultatem exercere, atque confessiones audire, nisi ab Episcopo, cui se examinandum debet offerre, fuerit approbatus (11).

Non tamen quilibet ordinariam, aut delegatam potestatem habens a culpis omnibus potest absolvere. Sunt enim quædam atrociora crimina, quæ pro suprema ipsius potestate sibi excepit, ac reservavit Romanus Pontifex absolvenda: sunt quæ pro iure suo in ædificationem Corporis Christi sibi reservarunt Episcopi, et qui quasi Episcopali iurisdictione gaudent. His igitur remittendis, ut iudicii natura, et ratio demonstrat, generalis iurisdictionis concessio minime sufficit.

De casibus summo Pontifici reservatis Interpretes sunt videndi (12), et de iis reservatis Episcopis, consulendæ sunt Synodales locorum Constitutiones, præter ea, quæ suis locis indicantur (13).

Nunc ad tertiam Pœnitentiæ partem, nempe ad Satisfactionem procedamus. *Satisfactionem constituunt pia quævis, et laboriosa opera, quæ ad compensandam, ulciscendamque, ea ratione, qua homo potest, Deo illatam iniuriam pœnitens suscipit*,

(11) *Sess.* 23. *de refor. Cap.* 15.
(12) Gravin. Inst. h. T. et Luc. Ferrar. Bibliothec. etc verb. Excomunicatio art. 3. ubi plura.
(13) Vid. omnino Bened. XIV. de Syn. D. *Lib. V. Cap.* 4. *et* 5.

et Sacerdos iudex iniungit: eaque opera *pœnitentiæ* strictius vocantur (14).

Satisfactionem autem vetus Ecclesia exigere solebat antequam remissionem largiretur pœnitentibus, qui per plures gradus ad absolutionem, ut plurimum, perducebantur, præsertim si publice peccantes, publice quoque ad tollendam populi offensionem puniri oportebat. Erant igitur quatuor pœnitentiæ ordines, *Fletus* scilicet, *Auditio*, *Substratio*, *Consistentia*, de quibus accurate disserunt Ieuninus, Morinus, Fleuryus, Selvagius, aliique.

Nunc mutata temporum ratione remissius agitur, et rei ante peractam pœnitentiam, dummodo eam candide promiserint, et vere conversionis indicia præbuerint, absolvuntur. Immo damnata est a Sixto IV. Petri de Osma hæc propositio: *Pœnitentes non sunt absolvendi, nisi peracta pœnitentia eis iniuncta*. Satisfactio autem omnis in his tribus potissimum generibus versatur, nempe oratione, eleemosyna, ieiunio; pium enim opus est nullum, quod non ad aliquod horum trium generum referatur.

At perstat Regula ab Apostolo Paulo tradita, quam naturalis suadet ratio, confirmavitque Tridentina Synodus, ut publice peccantes publica pœni-

(14) Trid. ib. *Cap.* 8.

tia puniantur (15). Perstat item altera, ut satisfactio *non sit tantum ad novæ vitæ costodiam, et infirmitatis remedium, sed etiam ad præteritorum criminum vindictam, et castigationem*: unde a Sacerdotibus versandi sunt diu noctuque pœnitentiales canones, quorum Epitome Gratiani Decreto subnecti consuevit (16). Illa autem *publica* pœnitentia nullatenus cum *solemni* permiscenda est, in capite ieiunii inchoanda, de qua loquitur Pontificale Romanum.

Nunc ad alteram Tituli huius partem accedamus, hoc est ad remissionem, sive *Indulgentias*. Cum Ecclesiæ concessa sit a Christo ligandi potestas, et solvendi, non solum condignam satisfationem pœninitentibus potest iniungere, sed etiam temporalem poenam eorum peccatis debitam moderari, et relaxare. Hanc moderationem, condonationem, et remissionem indulgentiae nomen usu ecclesiastico significat; quare indulgentia definiri potest, remissio pœnæ temporalis, quae post remissionem peccatorum luenda superest, extra sacramentum facta ab eo, qui spiritualem iurisdictionem habet cælestem Ecclesiæ thesaurum dispensandi (17). Duo au-

(15) Vid. omnino Trid. *Sess.* 24. *de ref. Cap.* 8, in quo *de Poenitentiario* etiam agitur.

(16) Trid. ib *C.* 8 et Bened. XVI. de Syn. D. *C. XI. Lib. XI.*

(17) Usque ad octavum Saeculum, nempe toto eo tempore, quo poenitentia publica in Ecclesia viguit, et iniunctam poenitentiam canonicam lapsi subire debebant, et nec dum soliti erant aliis operibus redimere, poterant Episcopi iuxta facultatem eis concessam.

tem dumtaxat de indulgentiis credenda omnibus proponuntur ab Ecclesia in Tridentino Concilio; primum: potestatem concedendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessam esse; secundum: eas Christianis utiles esse, ac salutares; quæ duo fidei dogmata qui negant, eos Sancta Synodus anathemate damnat.

Plenarias indulgentias concedere potest solus Romanus Pontifex, cui Ecclesiæ thesauri clavium commissa est custodia. Episcopis vero, sola facultas a jure conceditur indulgentiam largiendi quadraginta dierum, et centum in Ecclesiæ dedicatione; Cardinalibus centum dierum. Vicarius autem Capitularis, ex decretis Sacrae Congregationis a quibuscumque conferendis indulgentiis debet abstineri.

a Conciliis Ancyrano, Nicoeno primo, Carthaginensi, aliquid de imposita poenitentia relaxare, cum id poenitentium saluti expedire judicabant. Post saeculum octavum, annuentibus Episcopis, poenitentiam canonicam sibi impositam redimere coeperunt eleemosynis, jejuniis, aliisque id genus operibus. Sub finem undecimi Saeculi Urbanus II. in Concilio Claromontano indulgentiam, seu canonicae satisfationis relaxationem, his concessit qui expeditionem Hyerosolimitanam contra Saracenos aggrederentur. Idemque duodecimo Saeculo confirmarunt Summi Pontifices Callistus II. in Concilio Lateranensi I. Eugenius III. et Clemens III. Hanc perpetuam Ecclesiae indulgentias concedendi praxim constanter a duodecimo Saeculo, ad nostra usque tempora Romani Pontifices conservarunt.

TITULUS VII.

De Extrema Unctione Trid. Sess. 14.

Pœnitentiæ *perfectio*, *et Consummatio* est Extremæ Unctionis Sacramentum, apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum, et Domini fratrem commendatum, ac ita promulgatum (1): *Infirmatur quis in vobis: inducat Presbyteros Ecclesiæ; et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit dimittentur ei.*

Hinc definiri poterit Extrema Unctio: *Sacramentum, quo per Unctionem quarumdam partium corporis, certasque formulas graviter ægrotantes remissionem culparum, vires, salutemque tum animi, tum quandoque etiam corporis consequuntur.* Atque hinc pariter intelligitur quæ sit ipsius materia, qualis forma, quis Minister, quale subiectum.

Materia igitur remota est oleum ab Episcopo benedictum, unctio autem proxima: *Forma* vero verba illa: *per istam Sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum et lo*

(1) Marc. Evan. Cap. 6., Iacob. Epistol. Cap. 5.

cutionem, tactum, gressum, lumborum delectationem deliquisti.

Unguntur enim oculi, aures, nares, os, manus, pedes, ac renes, tamquam luxuriæ sedes; qui tamen propter sexus pudorem in foeminis omittuntur. *Ministri* autem sunt Ecclesiæ Presbyteri, nempe Episcopi, aut Sacerdotes (2) ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum: quamquam huius administratio proprio iure ad Parochos pertinet (3): si necessitatem excipias, qua urgente, cuique vel Regulari Sacerdoti permittitur (4).

Declaratur etiam Iacobi verbis hanc unctionem infirmis adhibendam esse; illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde et Sacramentum exeuntium (non autem mortuorum) nuncupatur. Ex quibus et illud consequitur, ut sine scelere contemni nequeat tantum Dei beneficium; quin immo in novo vitæ discrimine iterari possit.

Cumque infirmorum, et quidem, quantum fieri potest mente valentium proprium sit huiusmodi Sacramentum; liquet illud præbendum non esse

(2) In more positum est apud Graecos, ut in hoc Sacramento conferendo septem Sacerdotes, vel saltem tres praesto sint. Hic mos a Romanis Pontificibus non est improbatus; dummodo Graeci credant hoc Sacramentum ministrari posse etiam ab uno tantum Presbytero tum valide, tum licite. Necesse tamen est, ut Sacerdos graecus, qui ungit corpus infirmi, idem et formam pronuntiet.

(3) Trid. hoc Tit. Cap. 1. 2. et 3.

(4) Clement. I. iuncto Cap. ult. *De Privileg*.

capite damnatis, nec pueris doli incapacibus, nec amentibus, qui antequam in furorem inciderint desiderium illius non ostenderint, cum ægrotarent, neque iis absque necessitate ex præsenti Romanæ Ecclesiæ disciplina, qui Eucharistiam nondum sumpserint (5).

TITULUS VIII.

De Sacramento Ordinis Trident. Sess. 23.

De Ordinibus, nempe de variis Clericorum gradibus, dignitatibus, et officiis satis superiore libro disseruimus: nunc de Ordine in universum, seu de Sacra Ordinatione pauca dicenda supersunt.

Cum divinarum scripturarum testimonio, Apostolica traditione, atque unanimi Patrum consensu Sacra Ordinatio verbis, et signis exterioribus perficiatur, per quæ Spiritus Sanctus, et caelestis Gratia confertur; iam fidei dogma est, eam esse unum e septem Ecclesiæ Sacramentis: per quod, sicut novum in Ecclesia est Sanctum ac visibile Sacrificium,

(5) In tota Ecclesia idem non fuit semper ordo in hoc Sacramento conferendo servatus. Alii enim statim post Sacramentalem absolutionem aegrotos inungebant ante viaticum: alii post viaticum susceptum, ut hodierna consuetudo tenet, a qua, ut ait Benedictus XIV. Romanae Ecclesiae praesenti disciplina, aequitatis ratio postulat ut non recedatur. Vid *Benedict.* XIV. *de Syn. dioec. Lib.* 8. qui pluribus capitibus quae ad hoc Sacramentum pertinent singulari doctrina complectitur.

ita eadem habeat sanctum ac visibile Sacerdotium, utrumque divinitus institutum (1).

Sacra igitur *Ordinatio est Sacramentum, quo sacrarum rerum rite, ac recte faciendarum, atque ministrandarum potestas, dignitas, et Gratia tribuitur.* Singulorum Ordinum, qui minores vocantur, ac præterea Subdiaconatus collationem Sacramentum esse, nondum est cunctis ad credendum ab Ecclesia propositum: Diaconatum post Tridentinos Canones quartum, et sextum hoc titulo, Sacramentis accensent omnes Theologi, at de Sacerdotio dubitare prorsus hæreticum atque impium foret (2). Anathemate quoque feriuntur qui dixerint Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel potestatem confirmandi, quam habent, illis esse cum Presbyteris cummunem, vel Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur non esse legitimos, ac veros Episcopos (3).

Cumque divina res sit tanti Sacerdotii ministerium, profecto in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, ac cæterorum nec populi, nec cuiusvis sæcularis potestatis censensus ita requiritur, vel auctoritas, ut sine ea irrita sit ordinatio: immo vero fures, et latrones per ostium non ingressi habendi sunt, qui tantummodo a populo, vel sæculari pote-

(1) Trid. ib. *Cap.* 1. *et Can.* 1. 2. 3.
(2) Vid. Bened. XIV. de Syn. Dioec. *Cap.* 9. *Lib.* 8.
(3) Trid. ib. *Can.* 7. *et* 8.

state, vel per se ad sacra ministeria temere ascendunt (4).

Ex iis, quæ hic aliisque in locis diximus, Sacrorum Ordinum *Ministros*, atque dispensatores esse Episcopos plane liquet: minorum vero ordinum administrationem illis esse privilegio et auctoritate Summi Pontificis cum Abbatibus, aliisque in dignitate constitutis Presbyteris communem, præsertim vero cum S. R. E. Cardinalibus in Sacerdotio constitutis dum eam peragant in suis titulis, licet hi in *Diaconorum* numero recenseantur.

At vero ad Sacrorum ordinum *materiam*, et *formam* quod spectat, Benedicti XIV. (5) prudentiam imitabimur, qui nihil statuens, nilque definiens, idipsum, ut faciant in suis Synodis, Episcopos graviter admonet. Certa tamen, et omnium oculis subiecta sunt hæc; 1, tam Sacerdotes, quam Diaconos per manuum impositionem adiunctis precibus fuisse primitus constitutos; 2, Tridentinam Synodum ex iis tantum Scripturæ locis, in quibus de impositione manuum mentio fit, sacram ordinationem esse Sacramentum efficere; 3, ratas habitas semper fuisse, et nunc quoque haberi Græcorum ordinationes sine traditione instrumentorum, per impositionem manuum peractas; 4, demum vel ipsi Latinæ Ecclesiæ diu ignotam fuisse huiusmodi instrumentorum, ut

(4) Trid. ib. *Cap.* 4.
(5) De Syn. Dioec. *lib.* 8. *Cap.* 9. et 10.

Calicis, ut patenæ cum hostia, ut Codicis Evangeliorum, et Epistolarum traditionem: qua tamen luculentius collata cuique potestas significatur. Sed de minorum Clericorum ordinatione, quod manuum impositionem non reciperent, alia a primis Ecclesiæ sæculis fuit semper ratio, ac disciplina (6).

Postremo cum per sacram ordinationem imprimatur character: quid inde consequatur, et ex doctrina Sacramentorum in genere (Tit 1. huius libri) et ex alibi dictis facile intelligitur (7).

(6) Vid. Morin. *de Sacr. Ordin.* Martene, Drouen Selvag. et alios passim.

(7) Concilium Lateranense II. Petri Leonis, seu Anacleti II. pseudo-Pontificis ordinationes misit in irritum *Can.* 30. his verbis: *ordinationes a Petro Leonis, et aliis schismaticis, et haereticis evacuamus, et irritas censemus.* Hic canon ita intelligendus est, ut Concilium non irritas declarasse istas ordinationes existimemus quoad substantiam, sen characterem, sed solum quoad executionem, locum, exercitium, et ordinis privilegia. Eodemque modo intelligendi sunt alii antiqui canones, qui tales ordinationes pronunciant irritas, quamvis Gratianus videatur illos exponere de ordinationibus quantum ad substantiam, sed falso. Docent quippe communiter Theologi ordinactiones factas etiam ab haereticis, excomunicatis, suspensis, et degradatis imprimere characterem, et iterari haud posse, et explodunt sententiam Ioannis Morini Congregationis Oratorii doctissimi presbyteri, qui in suo libro *de ordinatione* a communi Theologorum sententia recedit, contendens ordinationes factas ab haereticis Episcopis etc. fuisse antiquitus iteratas.

TITULUS IX.

De Sponsalibus, et Matrimoniis.
Tit. I. Lib. IV.

Devenimus ad Matrimonium, quod cum a sponsione inchoetur (1), præsenti consensu sacrisque ritibus constituatur, et carnali copula consummetur, ideo primum de Sponsalibus disseremus, cætera persecuturi pro elementorum ratione, quæ fusius in quarto Decretalium libro continentur.

Sponsalia sunt *mutua viri, et mulieris in matrimonium sponsio*, sive *futurarum nuptiarum mentio ac repromissio*, quæ a *spondendo*, sicuti *Nuptiæ* a veteri *nubendi*, seu velandi vultus consuetudine dicuntur. Mos tamen inolevit, ut ipsa Matrimonia dum celebrantur, Sponsalia de *præsenti* (2),

(1) Primum matrimonii gradum sponsalia constituunt, quæ etiam apud Romanos ante matrimonium celebrabantur quibusdam ritibus, quorum nonnullos Ecclesia desumpsit ex iis tamen, qui paganae superstitionis nihil saperent. En praecipui, quibus utebatur Ecclesia. *Matrimoniales tabulas* subscribebat Episcopus: sponsaliorum contractum munera comitabant, praesertim *annulus* a Tertulliano *pronobus* dictus: *osculum* cum dextrarum coniunctione intervenire solebat, et indissolubilia tunc evadebant. Osculi consuetudinem servat adhuc Ecclesia graeca, sed latina illud omittendum putavit; et ultima huius mentio occurrit in *Can.* 18. *Palea, Lex Divinae, Caus.* 27. *quaest.* 2., itemque non minus quam decem testes in sponsalibus adhibiti fuisse videntur. De nuptiarum ritibus vero, plurimi quibus hodie utitur Ecclesia, antiquissimi sunt; nonnulli tamen vel immutati, vel prorsus aboliti, ut velatio, crinium solutio, et coronatio, de quibus vide Martenium, Selvagium, aliosque.

(2) Sacri canones matrimonium ratum frequenter *sponsalia de*

illa vero, quæ definivimus, Sponsalia *de futuro* nuncupentur. Cum vero de sponsalibus loquimur simpliciter, sponsalia de futuro intelliguntur.

Ad ea contrahenda requiritur futurorum coniugum consensus, ideo nisi qui ætatem habeant rationis capacem, et idoneam ad id quod agunt intelligendum, sponsalia valida non contrahunt. Eam autem ætatem definitam invenimus septennium absolutum Iure communi (3).

Consensus autem, dummodo sit certus, nihil refert expressus ne sit, an tacitus, nempe re traditis arrhis, an verbis sive pronunciatis, sive scriptis, hoc est per epistolam: nec refert nutu ne quis assentiatur, an silentio, puta parentibus pro filio respondentibus; non tandem refert per se quis contrahat, an per procuratorem per mandatum antecedens, an per ratihabitionem; omnibus enim modis certum consensum exprimentibus, recte contracta sponsalia putantur (4).

praesenti appellarunt; et quidem non immerito, quamvis locutio haec ab aliquibus irrideatur: nam sicut in sponsalibus de futuro promittitur matrimonium, sic statim ac inter utrumque conventio fit *de praesenti*, quae dicitur matrimonium ratum, promittitur futura traditio corporum. Hanc loquendi rationem defendit Cl. Migliorucci in peculiari dissertatione. *Lib.* 2. *Instit. Canon. Tit.* 10.

(3) Cap. *Literas* 4. *de despons. impub.*

(4) Cap. uuic. *de despons. impub.* in VI., Cap. Qui tacet 43, et C. *Ratihabitionem* 10. *de Regul. Jur.* in VI. Cum verba in sponsalibus expressa sunt dubia, et obscura, in foro quidem *interno* standum est intentioni contrahentium; in *externo* autem communi potius et recepto verborum sensui. Cap. *Ex Literis* 7. *h. t.* V. Pirhing *L. IV. Tit.* 1. *Sect.* 1. ubi plura.

Contrahi sponsalia possunt *pure*, sub *conditione*, et *in diem*. Pure his verbis: *ego te accipiam in uxorem: ego te in maritum;* ita ut nulla conditio exprimatur. Nam si conditio aliqua tacita insit sponsalibus, dummodo non exprimatur, ea non suspendit (5). Conditionalia sunt quæ conferuntur in eventum aliquem incertum, a quo suspenduntur, ut nisi ea conditio extiterit, irrita sint: nisi accesserit consensus de præsenti, aut carnalis copula, aut conditio sit turpis vel impossibilis. Ast infirmantur sponsalia, si conditio matrimonii naturæ adversetur (6). In diem contrahuntur, cum quis spondet se accepturum aliquam in uxorem intra certum tempus (7).

Contracta sponsalia obligationem contrahendi matrimonii pariunt, ut si alteruter a voluntate recesserit auctoritate Iudicis, et metu pœnarum possit induci: nisi periculum aliquod ex huiusmodi

(5) Cap. *Quemadmodum* 25, *de Jurejur.* ubi *Gloss. verb. Conditio*. In sponsalibus, et matrimoniis, ut plene libertas vindicetur, statuit Pontifex in Cap. *Gemma mulier de spons. et matr.* promissionem poenae non obligare. Sed moderatam poenam contra iniuste resilientem in sponsalibus posse apponi, nulloque jure reprobari, tenet Remigius Maschat in suis *instit. Can. ab Ubaldo Giraldi illustratis, h. t.*, qui ait in dicto Capite Pontificem loqui de sponsalibus invalidis puellae ante septennium contractis. Miglioruccius autem *instit. Can. Lib.* 2. *Tit.* 10. *n.* 52. putat distinguendum, et opinatur, non posse addi poenam sponsalibus, dum haec celebrantur, sed nihil impedire, quominus poena addatur ex intervallo.

(6) Cap. ultim. *de condition. appos.* Vide adnotat. in Tit. X. §. *Conditio, huius Lib. II.*

(7) Cap. *Sicut ex litteris de sponsal. et Matr.*

coniunctionibus invitis, et luctuosis timeatur: tum enim coercitionibus, ac præcipue censuris est abstinendum (8).

Sponsalia valide semel contracta præterea pariunt publicæ honestatis impedimentum, de quo inferius agetur.

Verum pluribus ex causis sponsalia dissolvuntur, nimirum, præter mortem, qua omnia dissolvi constat, 1: communi dissensu utriusque, licet ea sint iureiurando vallata; etenim quisque potest remittere iuramentum sui gratia præstitum (9). Impuberes vero dissentire possunt puberes facti, dummodo a coniunctione corporum abstinuerint (10). Si vero dum sponsalia contrahebantur alter erat pubes, alter vero impubes, et hic impubes postea pubes factus discedere velit a contractu, sponsalia dissolventur etiam eo dissentiente, qui tempore contrahendorum sponsalium pubes erat (11). 2: Per fornicationem alterius e sponsis vel præcedentem sponsalia, vel subsequentem, siquidem fornicatio præcedens sponso fuisset occulta. Nam si sponso innotuisset, et postea contraxisset, eam remisisse cense-

(8) Ita tollitur a quibusdam celebris oppositio, quae notatur inter Cap. *Ex literis* 10. ubi censura praescribitur, et Cap. *Requisivit* 17. *h. t.* ubi prohibetur. Nam sicut Pontifex in dicto Cap. 10. addit, *nisi rationabilis causa extiterit*, animadvertit Cuiacius in expositione huius Decretalis, *rationabilis causa esset*, *si illo coacto, ad peragendas nuptias prospiciatur periculum aliquod grande discordiae, et odii acerbioris*.

(9) Cap. 2. h. Tit.

(10) C. *A nobis de despons. impub.*

(11) C. *De illis* eod.

tur. Dissolvit etiam sponsalia fornicatio spiritualis, puta hæresis, Apostasia a fide, 3: Per lapsum temporis ad celebrandas nuptias præfiniti, si id tempus ideo adiectum censeri possit, ut eo exacto ad libertatem redeat quisque suam (12). 4: Dissolvuntur sponsalia, si sponsorum alter Religionem ingrediatur, vel sacrum ordinem suscipiat (13). 5: Per supervenientem affinitatem, vel cognationem spiritualem (14). 6: Si rerum status post inita sponsalia plurimum immutetur, et bona sive animi, sive corporis, sive fortunæ, vel famæ grave detrimentum patiantur, cuius causam alter ignorabat, quamvis tempore initi contractus existeret (15). 7: Si contrahantur sponsalia de præsenti, cum hæc sint fortius vinculum (16), si quis scilicet sponsorum cum

(12) Cap. *Sicut* 22. hoc tit.

(13) C. 2. *de convers. coniug.* C. 1. *et* 2. *Qui cleric. vel voven.* etc. Solo in religionem ingressu, etiam ante professionem solvuntur sponsalia ex parte non ingredientis; sed ex parte ingredientis tantummodo suspenduntur quandiu in religione permaneat.

(14) Superveniet affinitas si sponsus propinquam sponsae cognoverit. Cap. *Veniens* 2. *de eo qui cogn. consang. uxor.* et Cap. *Super eo* 2. *de consang. et affin.*; et spiritualis cognatio intercesserit, si mulier suscipiat de sacro fonte filium viri sui ante contractum matrimonium, ut in Cap. *Veniens* 6. *de cognat. spirit.*, tunc enim eorum irritantur sponsalia.

(15) Cap. *Quemadmodum* 25. *de iureiurand.* Cap. *Dilectus* 24. *h. t.* et Cap. *ultim. de coniug. leprosor.* Conditio enim, *rebus in eodem statu manentibus*, in omnibus contractibus, eoque magis in sponsalibus, censetur insita.

Cap. *Duobus* 1. *de spons. duor.* Priora sponsalia, inito postea matrimonio cum alia persona reviviscunt, matrimonio soluto; unde sponsa, quae se a nuptiis abstinuit, sponsum qui uxorem amisit, poterit, si velit, ad seipsam ducendam compellere. Wan-Espen. I. E. U. *Par.* 2. *Cap.* 2. *num.* 20.

alia persona matrimonium ineat. 8; Demum sponsalia dissolvit absentia, si alter altero inscio, vel invito domicilium mutaverit, seu cito non sit rediturus (17), quod iudicis prudentiæ relinquitur.

Et quoniam nemo ex crimine suo libertatem agendi, quod summum est beneficium, debet adipisci; propterea is, qui ex futuris coniugibus non peccavit, ad pristinam libertatem redit: qui vero peccavit, alterius sponsi arbitrio manet obnoxius (18).

Matrimonium autem ex Geneseos Cap. I., et Tridentina Synodo ses. 24. definiri potest: *Individua unius viri, ac mulieris societas* (19) *a Deo instituta procreandæ sobolis, ac mutui adiutorii causa, Christi cum Ecclesia coniunctiònem significans, et rite inita veri ac proprii Sacramenti vim habens.*

Ergo matrimonium in legitimo in primis consensu,

(17) C. 5. hoc. Tit.

(18) Dict. Cap. *quemadmodum* 25. *de iureiur.* C. 2. *de divort.* C. *no n solum.* C. *iam nunc* et seq. *de Sponsalib. etc.*

(19) Ex hoc colligitur quam longe distet a matrimonii ratione coniunctio non maritalis; quoad concubinatum vero monendum est, non solum apud leges civiles, sed etiam in Scriptura, et in sacris Canonibus uxores ipsas aliquando *concubinas* vocari; canones etiam *concubinas* dixere mulieres, quae ducebantur affectu maritali, et destinatione, omissis ecclesiasticis precibus, sanctisque caeremoniis; nam ante Tridentinum Concilium nuptiae clandestinae, quamvis ab Ecclesia semper improbatae, non erant tamen irritae; ideoque illae verae uxores erant minus solemniter ductae. Exemplum habes in C. *Is qui non habet* 4, et *Christiano* 5. *dist.* 34. Vide quod subnectunt Correctores Romani citato Canoni 4. Sic intelliges, cur tales concubinae, et concubinarii ad baptismum, et communionem admittebantur; hi canones enim de vero, et proprie dictu concubinatu, ut communiter intelligitur, non loquebantur.

et iusta ætate fundatur. Iusta ætas Iure Canonico ex potentia potius coeundi, quam ex annorum 12. in fœminis, 14. in masculis numero æstimatur, iuxta Sabinianorum sententiam, siquidem accesserit etiam maturum animi consilium, seu ut aiunt, *malitia suppleat ætatem*.

Legitimus consensus præstandus est ab iis contrahentibus, qui voluntate sua in matrimonium conveniant. Et quamvis ante disputaretur, an præterea consensus parentum accedere deberet, tamen Tridentino decreto definitum est non esse necessarium, ut matrimonium valeat; at licuit, semperque licebit parentibus, vel eorum tenentibus locum male constituendis nuptiis non adversari solum, sed et repugnare (20).

Contrahentium autem consensus exprimendus est aliquo exteriori signo sive verbis, sive nutu, adeo ut mutus quoque recte matrimonium contrahat (21), et dummodo consensus iste sit certus, præstari etiam per procuratorem potest, siquidem id mandetur alicui nominatim; quod quotidie usurpari videmus (22).

(20) Trid. *Cap.* 1. *Sess.* 24. *de reform*,

(21) Cap. *Cum apud* 23, *et Tuae fraternitati* 25. *hoc. tit.*

(22) Multis rationibus probat Pontifex sapientissimus Benedictus XIV. matrimonia per procuratorem contracta valere, ex communi Theologorum sententia; quamquam cautius, ut quae sic conciliata sint, iterum praesentibus coniugibus coram Parocho renoventur, non tamen ad necessitatem. *De Synod. Dioeces. Lib.* 13. *C.* 23. §. 9. Ex regula enim iuris 68. *potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.* Huc spectat celebre ca-

Oportet autem consensum hunc liberum esse ab omni metu, et errore; metus enim vitiabit matrimonium, si gravis sit, qualis cadere possit etiam in constantem virum, hoc est qui constantem virum flectere possit ad matrimonium tanquam minus malum (23).

Neque refert quod própria culpa se quis coniecerit in periculum, velut is, qui stupro puellam affecerit: nam ne cum ea quidem is valide contrahet, si gravi metu compellatur (24). Iure Decretalium per voluntariam cohabitationem convalescebat matrimonum vi metuque initum; sed id correctum est a Tridentina Synodo, ut sæpe S. Congregatio respondit (25). Error quoque matrimonium vitiat, ut latius infra.

Dividitur Matrimonium, in *legitimum, ratum, et consummatum*. *Legitimum* secundum gentium leges

put *Procurator de Procuratoribus in IV.* ubi Bonifacius tria statuit hac in re quidem notanda, nempe in procuratore ad contrahendum matrimonium requiri speciale mandatum: procuratorem ipsum non posse substituere, nisi hoc eidem specialiter sit commissum. Denique revocato mandato, ante quam procurator matrimonium contrahat, licet tam ipse, quam ea cum qua contraxit, revocationem penitus ignorarent, nullius momenti existere matrimonium; *cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit*.

(23) Cap. *Veniens* 15, *hoc tit.*

(24) Dicto Cap. *Veniens* etc.

(25) Si matrimonium, in facie Ecclesiae contractum, esset nullum causa metus, et impedimentum esset occultum, tunc mutuo coniugum consensu ex declaratione S. Pii V. convalesceret; si autem impedimentum manifestum est, iuxta eamdem Pii V. declarationem, matrimonium de novo contrahi debet, servata forma Concilii Tridentini. Fagnan. in Cap. *Is qui fidem de sponsalib. etc. n.* 14.

contrahitur cum solo naturali consensu, ac Sacramenti dignitate caret, cuiusmodi sunt Matrimonia infidelium. *Ratum* est, quod centrahunt fideles ex regulis Christianæ Religionis, et est quidem ratum ante commixtionem corporum. Sed si huic accedat maritalis coniunctio, Matrimonium *consummatum* efficitur, et significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, cuius rei causa perfectum, et consummatum dicitur. Nam quoad Sacramentum gratiam conferens, itemque ut civile negotium, vel tantummodo *ratum*, perfectum censetur.

Est item Matrimonium *vèrum, præsumptum, putativum*. *Verum* dicitur, quod vero ac legitimo viri et mulieris consensu constat, quorum uterque ad nuptialem consociationem aptus et idoneus est. *Præsumptum* deducebatur olim ex Iuris præsumptione, puta si post consensum in futuras nuptias, sponsi simul concubuissent. Sed Iure Concilii Tridentini nullum hoc matrimonium est. *Putativum* vocamus quod re quidem est irritum ob latens impedimentum, sed specie valet, si coram Ecclesia contractum sit, et impedimentum vel uterque, vel alter coniugum ignoret. Filii ex hoc matrimonio suscepti legitimi habentur, et dos suis gaudet privilegiis (26).

Materia Sacramenti Matrimonii est ipse contra-

(26) Cap. Pervenit 11. *qui filii sint legitim.*

ctus, de quo diximus. De forma vero, et Ministro magna disputatio est. Sunt enim qui Sacerdotem benedicentem nuptiis ministrum, sacerdotalem benedictionem Sacramenti formam esse arbitrantur. Sed plerique Sacramenti Ministros ipsos contrahentes faciunt; formam in verbis, aut signis consensum declarantibus positam esse sentiunt. Prior sententia *valde probabilis* a Benedicto XIV. dicitur; altera *communior* (27).

Nec prætereundum est Matrimonium *Conscientiæ*, quod coram Ecclesia contrahitur ea lege, ut semper occultum maneat: illudque ut cætera publica Matrimonia ratum, et verum est Sacramentum: quod coniungitur coram Parocho, et testibus, qui omnes arcani silentii lege obstringuntur. Sed a reliquis differt; quia contrahitur omissis tribus denunciationibus, de quibus cavit Tridentina Synodus (28), neque contractum describitur in libro, quo Parochus omnium matrimonia describit, sed in peculiaribus libris adnotatur summa cura apud Episcopum custodiendis. Non omnes inire suo lubitu possunt hoc Matrimonium, quod cum occultum sit gravia mala importare potest; sed ab Episcopo ex iusta, gravique causa (et apud nos non sine Principis venia) permittitur (29).

(27) De Syn. dioec. *Lib.* 8. *Cap.* 13.
(28) Decr. *de Ref. matr.* C. 1. ses. 24.
(29) Encyclic. *Satis Vobis* Bened. XIV. in eius Bull. T. 1. N. 35.

TITULUS X.

Quæ matrimonium impedire possint.

Quidquid obest matrimonio, efficitque ne illud honeste, aut valide contrahatur, impedimentum matrimonii canonicum appellatur. Unde impedimentorum duo sunt genera: unum eorum, quibus matrimonium inhonestum, et illicitum tantum redditur: alterum eorum, quæ illud præterea nullum, et irritum reddunt; ex quo fit ut contrahentes dirimi ad invicem debeant. Hinc prioris generis impedimenta *Impedientia* dicuntur, posterioris *Dirimentia*. Peculiare tamen est in matrimonio rato, quod hoc vere, ac proprie per monasticam professionem, ut vidimus, dirimatur, et irritetur.

Recte, ac sapienter philosophatur Sanctus Thomas (1), dum ait, matrimonium respicere vel naturæ bonum, quod est humani generis perpetuitas, vel bonum politicum, seu civilis societatis, quia ex bene constitutis coniugiis maxime pendent civitatum salus, atque felicitas; vel demum Ecclesiæ bonum, quia Sacramentum est matrimonium, ipsumque habet auctorem Deum, et qui homines, ac cives sunt, iidem per baptismum Ecclesiæ filii efficiun-

(1) Lib. IV. *contra gent.* Cap. 78.

tur. Ex quibus conficit idem Sanctus Doctor cum a naturæ iure, tum a civilibus, tum vero ab Ecclesiæ legibus, matrimonium esse dirigendum, ita tamen ut unum quodquod ius intra proprios fines contineatur, et quæ statuit ad assequendum propositum sibi bonum dirigantur.

Ergo si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit. Item si quis dixerit eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, et dirimant, anathema sit (2). Et id quidem iuxta ea, quæ §. superiori adnotavimus, non aliunde adscito, non precario, sed ingenito proprioque iure potuit, ac potest Ecclesia.

Impedientia, quæ diximus, impedimenta pervulgatis posthabitis, quos ridet merito Benedictus XIV. his versibus continentur (3):

(2) Trid. Syn. *Can.* 4. *et* 3. *ses.* 24. *de Matrim.*

(3) In antiquis canonibus plura recensentur impedimenta *impedientia;* nam homines qui aliquod crimen ex atrocioribus patrassent, nunquam in posterum coniugio copnlari posse statutum erat, vel saltem dum publica poenitentia agebatur. Can. 5. 12. *et segg. Caus.* 33. *quaest.* 2. C. *Qui Presbyterum* 2. *de poenit. et remiss.;* quos inter criminum reos sine spe coniugii manebat *susceptor propriae sobolis,* de quo in Can. *De eo* 5. *vers. Si autem Caus.* 30. *quaest.* 1. Praeterea mentio fit in Cap. *Contracto de Cogn. spirit.* alterius impedimenti impedientis cognationis imperfectae

Ecclesiæ vetitum, feriæ, sponsalia, votum,
Hæresis, ignorata fides, maiorque reluctans
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Ac primo interdictum servandum est iudicis ecclesiastici (4), qui forte distulerit nuptias, quoad suspicio latentis alicuius mali, aut canonici impedimenti tollatur. Cuius causæ cognitio dum pendet, separandi sunt coniuges (5), si contra interdictum nuptias contraxerint.

Vetuit etiam Ecclesia ne sine venia Episcopi, gravibus dumtaxat ex causis concedenda, *denunciationes* omittantur, adeo ut si Parochus iis neglectis matrimonio intersit, ad triennium ab officio *sit suspendendus* (6). Quare antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festis, in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum. Quod sanctissime præce-

ex catechismo ortae; nam puellae nubere non poterat, qui eam ad Christianam Religionem instituerat, et *patrinus catechismi* dicebatur. Hoc impedimentum sublatum videtur a Tridentino *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform. matrim.* Caetera, de quibus supra, iamdiu exoleverunt.

(4) Si Episcopus generatim interdicit Parocho ne matrimonio adsistat, adhuc tamen matrimonium valet. Si vero hoc interdictum manat a Pontifice, cum decreto irritante, cum Summus Pontifex in Ecclesia impedimenta dirimentia matrimonium possit iure suo constituere, tunc utique coniugium non est validum. Validum nihilominus esset, si decretum Pontificis non sit irritans, cum impedimentum tunc solummodo censeatur impediens.

(5) Tit. 16. Lib. 4. *De Matrim. contract. cont. interd. Eccl.* per tot.

(6) Cap. *cum inhibitio* fio. §. ult. *sane* et Benedict. XIV. de Syn. Dioeces. L. 12. C. 6.

ptum est, tum ut, si quæ sint impedimenta detegantur facilius, tum ut fidelis quisque fratres suis ad Deum precibus adiuvet (7).

Secundo, Cultus divini causa, certis anni temporibus, vetantur Nuptiarum pompæ, traductio sponsæ ad viri domum, ipsiusque benedictionis solemnitas, quæ tamen alia ab ea est, quæ his verbis concipitur « *Ego vos coniungo etc.* » vel similibus iuxta cuiusque Provinciæ ritum (8). Feriæ illæ per S. Concilium Tridentinum constitutæ sunt ab Adventus Dominico die usque ad Epiphaniam, et a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis. Sed et his temporibus licet matrimonium ipsum contrahere.

Tertio, sponsalia de futuro qui contraxerit, si cum alia persona matrimonium ineat, hoc (ut iam diximus) non dirimitur, cum sit fortius vinculum; sed graviter peccat, et pœnitentiæ subiicitur (9).

Quarto, Votum simplex castitatis, quo se quis a matrimonio temperaturum obligavit, non solemni ulla religionis professione, aut susceptione sacri ordinis. Nam si ille nuptias contraxerit, peccabit quidem, sed nuptiæ subsistent (10).

(7) Conc. T. ses. 24. C. 1. *de Ref. Matrim.*
(8) Vid. Ritual. Rom. T. *de Nup.*
(9) C. 15., et 22. *de sponsal. etc.*
(10) Votum simplex vel servandae castitatis, vel ingrediendae Religionis causa emittitur; sed hoc intercedit discrimen, quod ille qui continentiam voverat ante nuptias, ne coniux innocens iure suo fraudetur, debitum coniugale reddere quidem debet, non

Quinto, Matrimonium inter Eterodoxos, et Catholicos, item valet, verum ea exhorruit semper Ecclesia: quia et nefaria est cum hæreticis in sacris præsertim communio, et ab huiusmodi coniugiis gravia oriri solent incommoda. Idcirco in his a Summo Pontifice non conceditur dispensatio, nisi maximis adhibitis cautionibus (11). At Sacra Congregatio Propagandæ fidei an. 1638. censuit in locis, ubi hæresis invaluerit, huiusmodi matrimonia dissuasione potius, quam pœnis interdicenda.

Sexto, impedit matrimonium rudimentorum Christianæ Religionis ignorantia. Nam qui prima eiusdem elementa ignorat, is nec sine piaculo accedere ad sacramenta potest, nec exequi erga liberos christiani parentis officia.

Septimo denique, etsi absque parentum consensu matrimonia filiorum familias valeant (12); tamen si

tamen petere. Is vero qui Religionis ingrediendae votum emiserat, et reddere, et exigere debitum potest. Nam servandae castitatis officium in se susceperat solummodo in statu monachali, quem ob iam contractum matrimonium non est assecutus; ita Cabassutius *Theor. et prax. Iur. can. Lib.* 3 *Cap.* 21. *n.* 2.

(11) Adeo Ecclesia has nuptias abhorret, ut eae nec sint benedicendae, nec Missa praesente haeretico celebranda, nec ritus connubii inter Ecclesiae ambitum peragendus. Vid. Benedict. XIV. *de Syn. dioec. Lib.* 6. *Cap.* 5. §. 5. *nov. edit.*

(12) Filiorum familias coniugia, inconsultis parentibus semper Ecclesia detestata est, et videtur etiam aliquando antiquis temporibus ea suis legibus fecisse irrita; ut patet ex epistola S. Basilii ad Amphilochium, ubi Canone quadragesimo secundo haec matrimonia vocat irrita, fornicationes, et concubinatum. Hanc disciplinam tenuit Orientalis Ecclesia, et etiam Latina nono Saeculo. In Tridentina Synodo haec diutius agitata est quaestio; sed tandem Patres Concilii decrevere contra haereticos, minime irrita esse filiorum familias coniugia sine parentum consensu, etsi Ecclesia illa

parentes, aliique qui parentum gerunt vices iusta de causa dissenserint, contra primum secundæ tabulæ præceptum, *honora patrem tuum et matrem tuam*, delinquet graviter filius, aut pupillus, qui iuste reluctantibus parentibus, vel tutoribus, in libidinem potius, quam in coniugium præceps ruat.

Expositis impedientibus, nunc ad impedimenta, quæ matrimonium irritum faciunt, seu dirimunt, transeamus, de quibus sunt notissimi versus:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si clandestinus, et impos,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Error, qui falsa est de re aliqua opinio, vel in persona, vel in statu, vel in qualitate alterius coniugis versatur. Error personæ, cum scilicet qui ducere putans Rachelem, ducit Liam, prorsus matrimonium irritat (13). Idque iure naturæ, cum nemo consentire queat in id, quod ignorat. Errore in statu personæ, veluti si quis putans cum libera contraxisse, postea servam illam comperiat, nuptiæ vitiantur (14). Error vero qualitatis, ut si divitem putem, quam pauperem invenio, aut quam censebam vir-

semper prohibuerit. Igitur certum est, haec matrimonia, quamvis possint aliquando iuxta locorum consuetudinem, invalida reputari quoad effectus civiles, valida tamen habenda esse in ratione sacramenti.

(13) Cap. *Tua nos de sponsalib. etc.*

(14) Cap. *Proposuit 2. de coniug. servor.*

ginem, corruptam detexero, aut impudicam, nuptias non dirimit. (15)

Conditio (ita enim post obsoletam apud nos servitutem (16), nunc ea vox accipitur, si honesta sit, neque a iure improbata suspendit matrimonii vim, et obligationem quoad impleatur, ut dictum est in Tit. *de sponsalibus*, nisi consensus de præsenti accesserit, vel corporum coniunctio; cum ex ea videtur, iure Decretalium, a conditione recessum (17).

Votum castitatis vel in sacris ordinibus emissum, vel in professione regulari, quod utrumque votum *solemne* vocatur, dirimit matrimonia postea contracta sive consummata fuerint, sive non, siquidem nuptias hoc solemne votum antecesserit (18). At si

(15) *Caus.* 29. *Quaest.* 1. *per tot.* Error in qualitate personae, connubium invaliditate non afficit, quia conditiones istae vel divitiarum, vel nobilitatis, aut virginitatis, nec necessariae reperiuntur ad Sacramenti substantiam, nec per eas deficientes tollitur absolute consensus, nisi forte qualitas *deducta sit*, ut aiunt, *in conditione*, ita ut, ea deficiente, ad contrahendas nuptias deficiat etiam consensus.

(16) Saeculo duodecimo in Italia adhuc in usu fuisse alicubi servitutes, ex eo etiam apparet, quod an. 1195, Henricus Canonicus Patavinus testamento reliquit libertatem servo suo: ita *in libr. privileg. Eccles. Cathedr.* Hoc ipsum deducit Wan-Espenius (I. E. U. Part. 2, Tit. 13, Cap. 3, n. 10.) ex Cap. *Dignum* 1. *de coniug. servor.* Conditiones autem, quae matrimonii substantiae, aut bonis nempe *prolis*, *sacramenti*, *et fidei* adversantur, matrimonium nullum, et irritum reddunt: ita declarat Gregorius IX. Cap. *ultim.* de condit. apposit. etc ibi: *Si conditiones contra substantiam coniugii inserantur, puta, si alter dicat alteri, contraho tecum si generationem prolis evites: vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus ditiorem: aut si pro quaestu adulterandam te tradas; matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu.*

(17) Cap. *de illis* C. *per tuas* de *condit. appos. etc.*

(18) Trident. *Can.* 9. *Sess.* 24. Quamvis minime necesse sit scru-

fuerit post nuptias, sive post matrimonium emissum distinctione opus est. Nam per regularem professionem consummata quidem matrimonia non dirimuntur, sed rata dumtaxat (19); per ordinem vero sacrum neque iam consummata, neque non consummata, dum rata fuerint, dirimuntur (20). Quod vero solemne votum nuptias dirimat, simplex non item, hæc afferri solet ratio, nempe quod simplex in promissione tantum corporis Deo tradendi consistat, solemne autem traditionem ipsam, adeoque actus complementum inducat. Sed profecto Ecclesia id tribuere merito voluit perfectionis sanctiorisque regularis vitæ proposito, et scandalum e solemnis voti violatione, quantum potuit, avertere.

Cognatio, quartum est impedimentum dirimens, de quo seorsim in sequenti titulo disseremus.

tari, an prioribus Ecclesiae saeculis continentiae votum fuerit impedimentum matrimonium dirimens, certum tamen est, Virginum, quae Deo Sacratae erant, et Monachorum matrimonia Sanctos Patres semper appellasse *stupra*, *adulteria*, *et adulteriis peiora crimina*. Vocabula *simplicis*, et *solemnis* voti, Gratiani aetate usurpari coepisse nemo inficias ire fortasse poterit. Sed si res ipsa spectetur, ex testimoniis Ieronimi, Augustini, caeterorumque a Gratiano prolatis Can. 21. 22. 41 *Caus.* 27. *quaest.* 1. et Can. 2. 4. 5, 9, *dist.* 27, colligi posse videtur, diversitatem inter utrumque votum irritans nempe nuptias, et aliud non irritans, quarto etiam Saeculo cognitam fuisse. A veritate igitur longe distat, per quinque priora saecula irritas non fuisse illorum nuptias, qui solemniter castitatem voverant. Sexto Saeculo continentiae solemne votum universaliter irritas fecisse nuptias minime dubitandum.

(19) C. *commissum de sponsal. etc.* Cap. *Verum de Convers. Coniugat.*

(20) Trid. *Can.* 6. *sess.* 24. Vid. *Wan-Espenium Part.* 2. *Tit.* 1?. *Cap.* 1, *num.* 12.

Crimina, ex quibus oritur impedimentum dirimens sunt homicidium, et adulterium: verum ad id oportet ut vel *homicidium cum conspiratione* sit, vel *coniunctum* habeat *adulterium*, vel *adulterio promissio matrimonii* adiungatur.

Primo igitur si ii, qui contrahendi animum habent, consilium inierint in mortem alterius coniugis, illiusque vitæ struxerint insidias: tunc insidiatores, soluto per subsequutam mortem talis coniugis matrimonio, nuptias irritas celebrant, etiamsi ex hisce nuptiis novus coniux ad fidem Christi pertrahatur (21).

Secundo, si non utriusque machinatio intervenerit, sed unius tantum, et cum insidiatore, occisique coniuge adulterium fuerit commissum; propter duplex crimen adulterii scilicet, et homicidii nuptiæ non subsistunt (22).

Tertio, si non homicidium adulterio accesserit, sed duo adulteri fidem sibi mutuo dederint de contrahendis nuptiis post alterius coniugis mortem, (23) aut reipsa matrimonium contraxerint (quod

(21) Cap. *Laudabilem* 1. *de convers. infidel.*

(22) Cap. *Super hoc* 3. *de eo qui duxit in matr. etc.* ubi recte notat glossa, quod adulter cum adultera potest contrahere, nisi ei fidem dederit contrahendi, vel nisi fuerit machinata in mortem uxoris; et insuper in medium profert, an ad inducendum impedimentum sufficiat machinatio sine effectu; aliqui enim tenent conatum sine effectu sufficere: sed communis opinio est, oportere, ut homicidium revera sequatur.

(23) Huius impedimenti mentio fit in concilio Triburiensi an. 895. *Can.* 40 his verbis „ *Audivimus rem execrabilem ; quem-*

dicitur *attentatum*): tum dissolutis per naturalem mortem prioribus nuptiis, posteriores iungi nequeunt, et iunctæ solvuntur (24).

Iure quidem civili (25) *raptus* crimen dirimit

dam nefario fornicationis opere alicuius uxorem, vivente eo, commaculasse, et in argumentum iniquitatis juramento confirmasse, si eius legitimum supervixissent ambo maritum, ut ille fornicator illam adulteram sibi associaret thoro, et legitimo matrimonio ... tale igitur connubium anathematizamus, et Christianis omnibus obseramus,, . Ex hoc Triburiensi canone Gratiani fragmentum originem habuit, quod refert in Cap. *Relatum* 4. *Caus.* 31 *qu.* 1.

(24) Ut vero impedimentum existat ex solo adulterio, vel cum *promissione* matrimonii, vel cum *attentato* matrimonio coniuncto, desideratur quidem, ut primum matrimonium sit validum: ut adsit vera corporum coniunctio: et ut contrahentes sciant superstitem esse coniugem. Nam si mulier ignoraverit adulterum iunctum esse matrimonio, nullum adest impedimentum, quia adulterium non est *formale*. Quin immo si *de facto* contractum sit (quamvis nulliter) secundum matrimonium, mulier, quae primum ignorabat, prima mortua uxore, si in secundo manere velit, vir ab ea recedere nequit, Cap. *Propositum* 1. *De eo qui dux. in matrim*. quem titulum vide *per totum*. Ecclesia igitur provide impedimentum criminis instituit, ad consulendum in matrimoniis fidei, et incolumitati coniugum.

(25) Gravissimas poenas per leges Romanas sancitas legimus contra raptores, ut in Cod. Theod. *Lib.* IX *tit.* 24 *de raptu virg. vel viduar*. Et Iustinianus ait, raptum esse impedimentum *perpetuum*, ne consensu quidem raptae, vel eius parentum minime sanandum *Leg. unic Cod. Iust. eod. tit.* Id ipsum Regum Francorum Capitularia constituunt. *Lib.* VI. *Cap.* 69. *et Lib.* VII. *Cap.* 395. et hoc reperitur in Can. *Placuit XI. Caus.* 36. *qu.* 2 falso a Gratiano Concilio Aquisgranensi tributo. Igitur nonnulli sentiunt Saeculo septimo, saltem in quibusdam Ecclesiis, raptum fuisse impedimentum perpetuum inter raptorem, et raptam. Ast saeculo undecimo relaxatum fuit hoc impedimentum, et cum raptore legitime contrahebat rapta, si eius *prior dissensio transiret posmodum in consensum*; ita Innocentius III. in Cap. *Accedens* 7. *de raptorib.* etc Denique Tridentina Synodus *Sess.* 24. *Cap. de* 6. *refor. matr.* provide sanxit quod supra: et sicut matrimonium, quod jure Decretalium erat validum si rapta consentiret, quandiu maneret in potestate raptoris, Tridentini vero jure est irritum, nisi

nuptias inter raptorem, et raptam, non vero iure Canonico, dummodo rapta procul a raptore tutum in locum abducta, sponte ac libere in matrimonium consentiat, ex præscripto Concilii Tridentini, quo neglecto nuptiæ irritantur. Hinc videtur ad defectum consensus potius quam ad crimen hoc impedimentum posse referri, etsi raptor excommunicationi subiaceat cum fautoribus, et raptam omnino dotare teneatur.

Cultus disparitas. A primis enim Ecclesiæ sæculis interdictæ semper nuptiæ cum Iudæis (26), et infidelibus fuerunt, ne membra Christi Satanæ prosternerentur (27). Aegre tamen interdicto huic obtemperabant, cum ex veterum locis sive id narrantium, sive de corruptela ista querentium huiusmodi nuptiarum occurrant exempla celeberrima. Unde colligunt cum Magistro sententiarum, Paludanus, Soto, aliique, prohibitionem hanc, quatenus quidem contrahendum impedit, esse de iure divino, quatenus vero contractum matrimonium dirimit, esse de iure ecclesiastico; præcipue cum S. Paulus scribat: *si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum eo, non dimittat*

consensum praebeat extra potestatem raptoris, et in loco tuto constituta, idcirco hac ex parte dici potest a Tridentinis Patribus novum impedimentum dirimens fuisse constitutum.

(26) Haebrei cum haeretica matrimonium non est validum: obstat enim cultus disparitas.

(27) I. ad Cor. C. 6.

illam. Quamobrem neque cum Catechumenis (28) licet inire coniugium. Inter ipsos vero infideles matrimonium naturale ac civile consistit. Etenim etsi communionem non habeant Sacramentorum, commercium tamen habent naturalis, et civilis iuris, cuius vinculo matrimonia continentur. Unde si utrique ad fidem nostram convertantur, manebit coniugium, etiamsi contractum fuerit intra gradus a canonibus Ecclesiæ vetitos (29). Non enim suberant Ecclesiæ coniuges quo tempore contraxerunt, et publice interest minuere difficultates adspirantibus ad fidem, ne dissolvendarum nuptiarum formidine retardentur. Unde si alter veram Religionem receperit, alter in sua perstiterit, tamen manebit matrimonium propter spem conversionis per fidelis coniugis charitatem, et persuasionem. Si vero alteruter convertatur, et qui superest infidelis vel abscedere prorsus, vel retinere coniugem velit, ut eum pertrahat ad peccandum, licebit fideli, novis contractis nuptiis, infidelis commercium vitare, sibique consulere (30). Sed interpellandus primum est infidelis, ut secum deliberet: et si nequeat interpellari, obtinenda est venia Summi Pontificis (31).

(28) *De Eccles. in Proleg.*, *et Tit. de Bapt.*

(29) Cap. ult *Qui fil. sint legit*, *et* Cap. *Gaudemus* 8. *de divort.*

(30) Cap. *Gaudemus*, et Cap. *Quanto de div.* quae duo Capita celebrantur.

(31) Benedictus XIV. de Syn. dioec. Lib. 6. Cap. 4. Matrimonium infidelis in infidelitate contractum non statim dissolvitur, cum alteruter coniugum baptizatur, et alter nolit; sed tunc cum baptizatus ad

At si, ut mos est infidelium, vir unus plures duxerit uxores, quoniam plures per Evangelii legem retinere nefas est, adhærebit illi, cum qua primo contraxerit.

De *vi*, et *Ordine* (32) iam satis diximus: unde ad *Ligamen* accedamus. Extat Tridentinæ Synodi Canon secundus Sessionis vigesimæ quartæ, in quo anathemati subiicitur qui dixerit licere Christianis plures habere uxores, et hoc *nulla lege divina* esse prohibitum: ex quo, ut sæpe alias, Tridentinorum Patrum in vitandis Scholæ quæstionibus maxima elucet modestia, et sapientia: quam vellemus, ut nostri summo studio imitarentur. Itaqne post matrimonium iam contractum, eo durante, nullum est matrimonium sequens, etiamsi prius fuerit tantum ratum, posterius vero fuerit etiam consummatum (33).

Quæ ad *honestatem publicam*, et *affinitatem* pertinent, expendemus in sequenti titulo *de triplici Cognatione*: ac distincto pariter titulo de *clandestina desponsatione* dicetur. Hinc restat, ut paucis titulum de *frigidis et maleficiatis, et impotentia coeundi* complectamur.

altera vota transit, ut docet idem Benedictus XIV. *Epistol. ad Vicesgerentem de baptismo Haebreorum*.

(32 Matrimonia inita a Graecis Catholicis in Ecclesia Orientali post sacrum ordinem susceptum, dubium est an habenda sint valida, vel tantummodo illicita; qua de re si forte accidat, petenda ab Apostolica Sede dispensatio. Certum est haec matrimonia post sacrum ordinem inita apud Italo-Graecos esse nulla et invalida. Benedict. XIV. in Bulla *Etsi Pastoralis*.

(33) Cap. 2. et ult. *de sponsa duor*.

Si adultus igitur (nam in pueris matura expectatur ætas) vel natura, vel tristi aliquo eventu, vel pharmaci alicuius violentia facultate coeundi caret, aut si mulier obstructa adeo est, ut virilem conatum excludat, patefacto huiusmodi impedimento, quod ante nuptias fuerat ignotum, eæ dissolventur: et quidem statim, quoties potens coniux de illo conqueritur apud iudicem. Quod si aspectu ipso diiudicari nequeat, perpetuum ne sit, an temporarium impedimentum, tum ad triennii experimentum est excurrendum, iungendique coniuges, ut per id tempus a contractis nuptiis nixuque ad copulam periculum faciant suarum virium: quæ si defecerint, matrimonium dissolvetur. Sed de ea impotentia constare debet ex iuramento coniugum ipsorum, et septem præterea propinquorum, quam Pontifex *septimam manum* appellat (34).

Quod si alteruter coniugum falsus deprehendatur propterea quod aliud matrimonium contraxerit, redintegratis prioribus nuptiis (nisi *relativa*, ut aiunt fuerit impotentia) ad innocentem coniugem redire compelletur (35).

Quæritur modo quis ea impedimenta, quæ recensuimus, modo humani iuris sint, tollere per canonicam dispensationem possit. Atque ad impedientia quod attinet explorati iuris est Episcopum dispensare

(34) Caelestinus III- in Cap. *Laudabilem de frigid. etc.*
(35) Cap. 2. eod. Tit.

non posse in impedimentis hæreseos, sponsalium, et voti regularis vitæ amplectendæ, aut perpetuæ castitatis, nisi utrumque sub conditione fuerit emissum. Sacræ vero Congregationes Inquisitionis, et Tridentini Concilii *falsum*, *et temerarium* declararunt asserere, quod Episcopis dispensare liceat a *dirimente publico* impedimento, etsi gravis urgeat contrahendi coniugii causa (36). Post contractum vero matrimonium plura simul adiuncta requiruntur, ut Episcopi vel in interno tantum foro rite dispensent (37). Sed in quibuslibet dispensationibus servandæ sunt Tridentinæ regulæ, quæ in Capite quincto de Reformatione matrimonii continentur.

(36) Confer Rigantium Comment. in Regul. Cancell. Tom. 4. in notis ad Regul. 49. n. 1. et 2. ubi S. Congregationis responsa, summa diligentia congesta referuntur.

(37) Benedictus XIV. *lib* IX. *de Syn dioec. Cap.* 2. *num.* 1, 2, et 3, ex unanimi doctorum sententia sex refert circumstantias, quae nisi simul concurrant, Episcopus nequit dispensare super impedimentis dirimentibus in matrimonio iam contracto. Hae circumstantiae, ut ipse Pontifex ait, sunt: 1, ut jam matrimonium fuerit contractum in facie Ecclesiae, omnibusque adhibitis solemnitatibus: 2, ut contractum fuerit bona fide, ex juris, aut facti ignorantia: 3, ut sit consummatum: 4, ut impedimentum sit occultum: 5, ut non possit facile adiri prima Sedes, seu dispensatio a Papa obtineri ob coniugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam aliasque similes causas: 6, denique ut non possit separatio fieri sine scandalo; addens insuper, quod si impedimentum, antea occultum, postea detegatur, et ad forum contentiosum delatum sit, nova dispensatio impetretur.

TITULUS V.

De triplici Cognatione, affinitate, et publica honestate.

Cognatio est *necessitudo, et coniunctio personarum, ex duobus sacramentis, Baptismi scilicet et Confirmationis*, vel *ex adoptione*, vel *ex corporum commixtione procedens*. Quapropter triplex est illa, *spiritualis*, *legalis*, *naturalis*.

Spiritualis cognatio nascitur ex ea Sacramentorum administratione, quæ regenerationis vi naturalem generationem imitatur (1), et propterea naturalis nexus imaginem inducit. Hinc ea parit impedimentum dirimens nuptiarum inter suscipientes, seu patrinos et baptizatum, et patrem ac matrem illius: tum inter baptizantem et pabtizatum, baptizatique patrem et matrem. Unus autem aut alter tantum susceptor est adhibendus: ac præter has enumeratas personas hodie prohibitio non extenditur ex Concilio Tridentino, a quo proinde derogatum est Iuri Decretalium in Titulo de *Cognatione spirituali* (2). De Confirmatione quoque idem Concilium a-

(1) Til. *super. de Bapt.*

(2) *Sess. 24. Cap. 2, de reformat. matrimon.* Ignotum fuisse primis saeculis cognationis spiritualis impedimentum, et jure prius civili quam canonico inductum, non absurde creditur ab eruditis, Prima huius cognationis non suspecta documenta apud Iustinianum

diecit, ne cognatio inde orta ultra confirmantem et confirmatum, huiusque parentes, ac susceptorem extendatur. Non contrahitur vero cognatio hæc a procuratore susceptoris, si hic alteri huiusmodi munus commisserit (3).

Legalis cognatio ex ea certe adoptione proveniens quæ *adrogatio* dicitur est triplex (4). Prima in linea recta tam adscendenti quam descendenti adoptantis et adoptati, quas inter personas durat prohibitio nuptiarum dirimens etiam adoptione soluta, saltem, ut aliqui volunt, ad quartum usque gradum propter pudorem a lege probatæ coniunctionis. Secunda in linea transversali inter adoptatum, et filias *legitimas et naturales* adoptantis in patria potestate manentes: quod impedimentum tollitur vel adoptione dissoluta, vel filio legitimo et naturali e patria potestate dimisso. His enim modis tollitur

Imperatorem occurrunt in *L. Si quis* 26: *Cod. de nupt.* postea in Can. 53 Concilii Trullani, et a Nicolao I. in responsis ad consulta Bulgarorum *Can. Ita diligere* 1. *Caus.* 30 *qu* 3, et ad instar legalis introducta videtur. Olim hoc impedimentum non solum filios, filiasque patrinorum obstringebat, sed etiam in omnes quotquot baptizatum, in sacra ablutione tetigissent diffundebatur, ut eruitur ex canonibus a Gratiano relatis in Caus. 30 qu. 3, et ex Decretalibus in Titulo *de cognat. spirit*

(3) S. Congr. apud Nicolaum, Tit. instit. *de Nupt.* C. 4. Num. 37

(4) V. Benedict. XIV. *de Syn. dioec. Lib.* IX: *Cap.* 10: Cognationem legalem antiquissima consuetudine apud Haebreos, Assirios, Longobardos, aliosque populos jus civile instauravit; et ut impedimentum dirimens ab Ecclesia deinde receptum est, et nono saeculo a Nicolao Pontifice omnium primo firmatum in civitatis responsis ad Bulgarorum consulta, quorum partem, quam Gratianus omissit in dicto canone 1, *C.* 30: *q.* 3: retulit Raymundus a Pennafort in Cap. unic. *de Cognat. Legal.*

legale vinculum: unde impedimentum oriebatur. Tertio affinitatis quoque similitudine, de qua inferius, oritur impedimentum nuptiarum inter adoptantem, et uxorem adoptati; itemque inter adoptatum, et uxorem adoptantis. In his omnibus si qua exoriatur quæstio, ea monente Benedicto XIV. citato loco ex civilium legum præscripto dirimenda est. Unde non prætereunda Lex Per adoptionem 17. ff. *de Ritu Nuptiarum*.

Postrema species cognationis est *naturalis,* quam carnalem appellant, quæ de maris et fœminæ commixtione procedit, quæque duplex impedimentum parit *consanguinitatis,* et *affinitatis*. Consanguinitas, sive naturalis cognatio est nexus personarum ex eodem stipite descendentium. *Stipes* dicitur ea persona, ex qua ii omnes, quorum de cognatione quæritur, ducunt communem originem. Distribuitur autem cognatio in *lineas,* lineæ autem tribuuntur in *gradus*. *Linea* est ordinata series personarum a communi stipite descendentium, seu sanguine coniunctarum. *Gradus* vero sunt generationes sibi perpetuo succedentes, ex quibus linea componitur.

Linea vero est duplex *recta,* et *transversa*. *Recta* linea dicitur quæ perpetua serie genitores genitosque complecitur, sive adscendentes et descendentes. Linea *transversa,* quæ et *lateralis,* et *obliqua* vocatur, eos continet, qui communem quidem ha-

bent stipitem; sed alter alteri, nec genitoris, nec geniti loco est, dum ad invicem conferuntur. Ita transversales sunt inter se fratres, et sorores, qui patrem habent communem, tum etiam fratrum et sororum fili, qui commupem habent avum, et sic deinceps.

Est linea obliqua item duplex *æqualis*, et *inæqualis*. *Aequalis* est eorum, qui a communi stipite distant paribus intervallis, ut fratres et sorores, qui æque distant a patre, itemque eorum filii, qui ab avo æque distant. *Inæqualis* vero est eorum, qui a communi stipite distant intervallis imparibus, ut ego et patruus meus. Avus namque meus cum sit communis stipes, in promptu est inter me atque avum meum binas intercedere generationes; dum contra inter patruum meum, ipsumque avum, qui est eius pater una tantum generatio intercedit; ex his efficitur *Cognationis Arbor*, ut dicitur, quam subiungimus, atque oportet diligenter expendere (5).

Quoniam autem inter cognatos, et consanguineos ob naturalem honestatem usque ad certos gradus tam iure civili, quam canonico nuptiæ prohibentur, contractæque dirimuntur; ideo graduum computandorum ratio cognoscenda est: qua nil est facilius, si recte instituatur.

(5) Vid. *ad calcem huius voluminis*.

Atque in linea *recta* tam adscendentium, quam descendentium quælibet generatio utroque iure gradum constituit. Unde filius patri est in primo gradu, nepos est avo in secundo, trinepos in sexto: nam totidem inter has personas intersunt generationes. Cum autem binas personas postulet generatio quælibet, genitorem scilicet ac genitum: et in perpetua descendentium vel adscendentium serie, quæ sex, puta, personis constet, quinque tantum habeantur generationes; hinc fit, ut superius tradita computandi Regula « *Tot sunt in linea recta gradus quot sunt generationes*, in hanc prorsus recidat « *Tot sunt in recta linea gradus quot sunt personæ dempto stipite* « Porro utroque iure in hac linea prohibentur Nuptiæ in infinitum, quotocumque vel remotissimo gradu personæ inter se distent.

Quæ transversæ lineæ dicuntur sunt quidem eiusmodi, si personæ unius cum alterius personis conferantur; sed seorsim inspectæ nil aliud sunt, nisi binæ rectæ lineæ hinc inde positæ. Unde iam statuta computandorum graduum regula servanda etiam in his est, si personæ ad communem stipitem referantur. Sed quando personæ in diversa linea constitutæ inter se comparantur, id inter civile ius, et canonicum intercedit discriminis (6), quod

(6) In Romana Synodo an. 1059, Nicolao II. Pontifice, defini-

civile ius tot gradus inter datas personas numeret quot sunt generationes, aut dempto stipite, personæ utriusque lineæ; contra vero ius canonicum in unius tantum lineæ gradibus more solito computandis consistat, statuatque *personas a latere coniunctas per tot gradus inter se distare, per quot altera personarum a communi stipite distat*. Iam vero planum est in linea æquali nihil interesse, qua in linea computationem instituas; at si inæquales lineæ sint, profecto a remotiori persona instituenda est supputatio: ex qua tandem fiet, ut *quot gradibus persona remotior distat a communi stipite, totidem gradibus personæ a latere positæ*, *quarum de co-*

tum fuit *can.* 11. „ *ut de consanguinitate sua nullus uxorem ducat usque ad generationem septimam* „ quod ipsum rursum statuit Synodus Romana an. 1063. sub Alexandro II. *Can.* 9. Tunc orta est gravissima quaestio, qua ratione *septimae generationis* nomen intelligendum esset; nam Ravennae Jurisconsulti Florentinis juxta civilem computationem responderunt, hac in specie, *septimam generationem* ita interpretari debere, *ut numeratis ex uno generis latere quatuor gradibus, atque ex altero tribus, jure iam matrimonium posse contrahi videretur*. Sic huiusmodi errorem Juris Consultorum exponit S. Petrus Damiani, qui contrariam, veramque sententiam acerrime propugnavit. Sed cum Damiani privata doctrina modum errori statuere minime potuisset, opportuna fuit Romani Concilii celebratio, indicta ab eodem Pontice Alexandro II. an. 1065., inquo editus est celebris canon *Ad Sedem* 2. *Caus.* 35. *qu.* 5, qui ad omnes Episcopos, et Clericos, nec non Iudices per Italiam constitutos exhibetur directus, ubi adversus eos qui contra sentirent, et qui *incestuosi* vocabantur, propositae anathematis minae; et ubi praeclare affertur ratio discriminis inter Civilem, et Canonicam graduum computationem, his verbis, sub §. I. *Hac igitur de causa, quia haereditates nequeunt deferri nisi de una ad aliam personam, idcirco curavit saecularis Imperator in singulis personis, singulos praefigere gradus. Quia vero nuptiae sine duabus non valent fieri personis, ideo sacri canones duas in uno gradu constituere personas.*

gnatione quæritur, inter se distent». Quibus ita semel explanatis, qui rem hanc totam penitus non intellexerit, invenimus adhuc neminem.

In hac tranversa linea nuptiæ iure canonico prohibentur usque ad quartum consanguinitatis gradum *inclusive* ex celebri Decreto Generalis Concilii Later. IV. sub Innoc. III., quod refertur in Cap. *Non debet de consanguinitate et affinitate*.

Præter cognationem, et consanguinitatem est alia nuptiarum prohibitio inducta ab affinitate, quæ oritur ex coniunctione duarum consanguinitatum per concubitum sive legitimum, sive illegitimum iure canonico (7). Unde neque vir consanguineam potest uxoris ducere, neque mulier consanguineum viri (8). Nam per amborum copulam, etiam divisæ cognationes inter se coalescunt, ut altera videatur alterius esse cognatio ratione ipsius viri, ac mulieris, non ratione personarum cuiusque cognationis inter se: unde tritum illud « *Affinitas non parit affinitatem* ».

(7) Cap. 6, et 10. *de eo qui cognovit consang. etc.*

(8) Ut varia fuit de consanguinitatis impedimento disciplina, ita de affinitate. Antiquitus enim triplex erat affinitatis genus, ex triplicibus gradatim initis nuptiia, ut late exponit Glossa in Cap. *Non debet de Consang.* nimirum: frater est mihi consanguineus; is si Maeviam uxorem ducat, ea mihi est affinis in *primo* affinitatis genere. Fratre meo mortuo, si Maevia nubat Titio, Titius mihi est affinis in *secundo* genere; Maevia defuncta si Titius ducat Caiam, haec affinis mihi erit in *tertio* genere. Tria haec genera affinitatis, olim erant matrimoniis ineundis impedimento, ut constat ex Can. *De propinquis* 3, et Can. *Porro* 22. *Caus.* 35. *qu.* 3., et ex Cap. Si quis 1. *de eo qui cogn. consanguin.* etc. Sed a Concilio Lateranensi IV. cit. Cap. *Non debet de Consang.* ad primum tantum genus restrictum fuit impedimentum.

Ideo filia uxoris ex alio marito potest duci a filio mariti ex alia uxore (9). Contra vero filia uxoris ex alio marito suscepta sive manente, sive dissoluto coniugio duci non poterit a matris viro, quia coniuncta est viro in primo affinitatis gradu, sicuti est in primo consanguinitatis gradu mulieri coniuncta. Nam per *copulam* efficitur ut » *Quo gradu quis est consanguineus viri, eodem fiat affinis mulieris, et vicissim* ». Unde consanguinea mulieris in secundo gradu, erit pariter in secundo gradu affinis viri, cum quo *copulatur*, et sic deinceps. Hinc sicuti Canones prohibent nuptias inter a latere iunctos consanguineos usque ad quartum gradum inclusive; ita et inter affines nuptias ad eumdem usque gradum prohibent. Si tamen affinitas ex illicito concubitu oriatur, prohibitio nuptiarum ex Concilii Tridentini decreto non excedit secundum affinitatis gradum (10).

Publica demum honestas oritur ex sponsalibus puris, non ex conditionalibus, nisi conditio jam extiterit exemplo illius impedimenti, quod manat ex affinitate, atque cognatione per ratum et consummatum matrimonium inducta; ita ut hoc impedimentum etiam iure civili cognitum imago quædam sit, et umbra illius. Pudor nimirum suadet, ut a nuptiis abstineamus propinquorum eius, quæ

(9) Cap. *Super his*, *de Consang. et aff.*
(10) Ses. 24. C. 4. *de R. matr.*

nobis desponsata fuit: quod impedimentum Sacra Tridentina Synodus (11) restrinxit ad primum gradum in veris, et legitimis sponsalibus de futuro, quibus dissolutis, impedimentum dirimens adhuc perdurat. Nam in sponsalibus de præsenti, etiam postea dissolutis, impedimentum hoc, iure antiquo manente, ad quartum usque gradum porrigitur (12).

(11) Ses. 24. *C.* 3. *de R. matr. et Pius V. in Const. ad Romanum an.* 1568.

(12) Publicae honestatis impedimentum, si primam spectemus originem, quoniam non certa lege erat cautum, et definitum, et affinitatis instar obtinebat, ad eos usque consanguineorum gradus extendebatur, quibus, matrimonio secuto, inesset affinitas. Saeculo duodecimo, et decimotertio, quo publicae honestatis impedimentum invaluerat, ipsum oriri dicebatur, etiam ex sponsalibus ab initio irritis, dummodo non fuissent irrita ex defectu consensus. Cap. unic. *de sponsalib. in VI.* Cap. 4. et 6. *de desponsat. impub.* Cap. unic. *eod. tit. in VI.* Duobus ex capitibus igitur publicae honestatis impedimentum oritur, nempe *ex sponsalibus*, et *ex matrimonio rato*. Quod attinet ad publicae honestatis impedimentum in matrimonio rato, *non consummato*, nil Tridentina Synodus innovavit, cum etiam nunc quavis ratione sit nullum matrimonium ratum, praeterquam ex defectu consensus, idem impedimentum exoritur usque ad quartum gradum, quod Fagnanus in Cap. Ad audientiam *de sponsalib.* multis adstruit argumentis. Sed in illo, quod ex sponsalibus *de futuro* provenit, eadem Synodus duplici ex capite ius commune correxit, nempe 1: contra decretalem Bonifacii VIII. in cit. Cap. unico *de sponsalib.* in VI. impedimentum substulit in sponsalibus quavis ratione nullis. 2: in sponsalibus validis restrinxit impedimentum ad *primum* gradum, cum jure communi extenderetur ad quartum. Ex sponsalibus vero initio validis, sed postea mutuo dissensu dissolutis, oriri impedimentum publicae honestatis censuit sacra Congregatio, ut videre est apud Fagnanum in cit. Cap. Ad audientiam *de sponsalib.* num. 29, et Pontifex, ille subiungit, hanc S. Congregationis resolutionem probavit, eamdemque iussit in dubium deinde minime revocari. Observandum hic tamen specialiter est, matrimonium irritum ob impedimentum publicae honestatis, *nondum consummatum*, non parere aliud publicae honestatis impedimentum *in praeiudicium priorum sponsalium*; quare matrimonium invalide contractum, sed *non consummatum* cum sorore, matre, vel filia sponsae non habet vim dissolvendi praecedentia sponsalia, nec impedit quominus

TITULUS XII.

De Clandestina Desponsatione Tit. 3. Lib. 4.

Vetustissima est Christianorum disciplina, ut nuptiæ non clam, sed in facie Ecclesiæ pastorum testibus adhibitis concilientur. Hinc matrimonium clandestinum idest clam, nec coram Ecclesia initum ob gravia mala, quæ ab eo imminent, detestata est semper Ecclesia (1): ac tandem a Tridentina Synodo irritum declaratum. Ideo nunc nuptiæ non valent, nisi coram proprio contrahentium Parocho, aut alio vel eius, vel Episcopi mandato Sacerdote, ac duobus, tribusve testibus contrahantur (2).

Modo autem Parochus præsens sit, atque id quod

cum sponsa contrahatur valide matrimonium. Si quis vero post sponsalia de futuro, cum consanguinea in primo gradu prioris sponsae contraxit per verba de praesenti, et hanc secundam cognovit, neutram ducere potest: non primam, propter affinitatem supervenientem; non secundam, propter impedimentum publicae honestatis. Vid. Cap. *unic. de sponsalib.* etc. *in VI.* et ibi Glossa.

(1) Revera ad nuptias celebrandas Sacerdotis benedictio requirebatur etiam antiquitus, nec eam negligendam esse ostenditur ex Can. 13 Concilii IV. Carthaginensis an. 398, a Gratiano relato in Can. *Sponsus* 33. *dist.* 23, ibi „ *Sponsus*, *et Sponsa cum benedicendi sunt a Sacerdote*, *a parentibus suis*, *vel a paranymphis offerantur*, *qui cum benedictionem acceperint eadem nocte, pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant* „. Testatur etiam Tertullianus suis temporibus coniugia publice annunciari consuevisse; nam matrimonio iungendi a Presbyteris offerebantur Ecclesiae, ut fideles felix coniugium eis futurum deprecarentur. Vid. notas Doujat *ad instit. Lancell. hoc tit. in princ.*

(2) Trid. *sess.* 24. *C.* 1. *de Ref. matr.*

agitur intelligat, matrimonium valet: etiamsi casu repertus, aut aliam ob causam vocatus sit (3). Similiter necesse non est quod testes expresse sint vocati, ut præsentes matrimonio sint; sed etiam testes casu reperti apti, et idonei sunt.

Hoc autem Concilii Tridentini decretum ad eas regiones non pertinent, in quibus nondum eius promulgatio facta est; nam ibi adhuc valent clandestina matrimonia, nisi quis tantum, ut clam nuberet eo se contulerit relicto loco, in quo Tridentina lex obtinet (4).

Quod autem attinet ad ea matrimonia, quæ temere sunt contracta omissis tribus denunciationibus, et clandestina item dicuntur, ea quidem vetita, non tamen irrita sunt, ut iam vidimus.

TITULUS XIII.

De divortiis, et secundis nuptiis.
Tit. 19, et 21. Lib. IV.

Matrimonium interdum solvi contingit, idque duobus modis, vel quoad ipsum vinculum, vel tantum quoad thorum, et mutuam habitationem. Iure Romano ipsa vinculi solutio *divortium* dicitur, et

(3) Bened. XIV. de Syn. D. *L.* 13. *C.* 23.
(4) Bened. XIV. loc. cit. C. 4., ubi habes declarationem S. Congr. Conc. ab Urbano VIII. confirmatam.

hoc facit potestatem novas ineundi nuptias cum primæ solvuntur. Differt divortium a *repudio*; quod hoc et in uxorem, et in sponsam cadit; illud tantum in uxorem; quoniam non recte dicitur sponsa divertere, cum divortium ex eo dicatur, quod in diversas partes eunt, qui separantur. Iure Canonico, et ipsa vinculi nuptialis solutio, et separatio thori, atque habitationis, quæ fit integro vinculo, divortium appellatur.

Nuptiale vinculum difficilius solvitur si consummatum, facilius si nondum consummatum matrimonium sit. Consummati matrimonii vinculum solvit mors naturalis coniugis, quo vita functo alias nuptias inire licet (1). De conversione coniugum infidelium iam supra diximus.

Ratum matrimonium præter alterius obitum, et infidelis coniugis conversionem, solvitur etiam Religionis professione, et auctoritate Summi Pontificis; qui ea tamen uti non solet, nisi causa cognita (2). Ut vero coniuges de melioris vitæ proposito deliberent, in rato matrimonio duos menses habent (3), a quo tempore si eorum alter Religionem

(1) S. Paul. ad Cor. 1. C. 7.
(2) Ben. XIV. *Lib. XIII. C.* 21. de Syn. Dioec.
(3) Si coniux ante consummationem matrimonii ait se deliberare an velit monasticam professionem emittere, potest adstringi intra certum tempus, postulante alio coniuge, ad professionem emittendam, qua non secuta, ad consummandum matrimonium obligetur. Hoc tempus olim determinatum non erat; sed cum id propositum fuisset Alexandro III., et in singulari causa rescripsisset bimestre tempus expectandum, *Cap.* Ex publico 7, *de conversion. Coniu-*

ingrediatur, in eaque professionem emittat, ita solvitur matrimonium, ut alteri liceat alias nuptias conciliare (4).

Thori seu habitationis separatio minorem quoque habet difficultatem: quoniam et mutuo consensu coniugum, et altero invito fieri potest. Mutuo consensu fit cum uterque coniux castitatem vovet, aut adprobatam Religionem profitetur (5). Qua in re illud decet animadvertere non cogi uxorem ad professionem, dum in ea ætate est, quæ omnem suspicionem excludat, modo extra Religionem castitatem voveat; cogi autem omnino, si de ea sit prudens suspicio. Altero autem invito plures sunt divortii causæ; nimirum si alter coniugum in hæresim (6), aut idololatriam prolabatur; si ea coniunctio

gat., receptum est ut regulariter duorum mensium spatium sit petenti coniugi concedendum. Revera Alexander III. in dicto Capite id generaliter non statuit, sed tantum duos menses praestituit, cum jamdiu diuturna lis instituta fuisset; unde colligitur diuturnius adhuc tempus praeterlapsum fuisse in proposita specie. Caeterum id planum fuit usque ad Tridentini tempora, cum annus probationis causa incundae vitae monasticae non necessario requireretur, sed posset eidem probationis anno, quasi beneficio a lege concesso, renunciari. Cap. *Ad Apostolicam* 16. *de regularib. et transeuntib. ad relig.* Postquam vero a Tridentina Synodo cautum est, ut ab omnibus probationis annus impleatur, quacumque renunciatione irritata, fieri coepit locus interpretationi, et disputationi. Probabilissimum videtur, ut Clarissimi Berardi verbis utar, pristinam illam duorum mensium designationem concedendam esse antequam coniux habitum induat; sed et praeterea annum novitiatus esse expectandum; imo longius etiam tempus, quando singulares nonnullorum Monasteriorum leges diuturnius tyrocinium emetiendum statuant.

(4) C. 2. 7. 14. *de convers. coniug.* Trid. *Can. 6. de matr.*

(5) C. 1. et 4. *de Conv. coniug.*

(6) Haec intelligenda sunt de divortio quad thorum; etenim

peccatum parere, aut disiunctio emendationem afferre possit (7). Si gravem in uxorem sævitiam adhibeat (8): item si alter coniugum adulterium (9), aut infandæ veneris scelus commiserit.

Verum propter adulterium separatio non permittitur, si mulier invita fuerit compressa, aut vir deceptus quod aliam mulierem putaverit uxorem

Tridentina Synodus *in Sess.* 24 *de sacr. matrim. Can.* 5. ita definivit „ *Si quis dixerit propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit* „.

(7) Cap. 2. *de Divort.*

(8) Cap. 8. et 13. *de Rest. Spoliator. Can.* 6. *C.* 31. Q. 1.

(9) Non defuerunt aliquando qui opinarentur, ex coniugis adulterio non tantum dissolvi coniugium quoad thorum, sed etiam ipsum matrimonii vinculum dirimi, ita ut innocenti coniugi, vivente adultera reiecta, liceret cum alis nuptias contrahere. In Ecclesia Graeca latius pervagata est haec doctrina, et in Tridentina Synodo a nonnullis fuit propugnata. Post vero longam disceptationem Latinorum sententia Scripturis, et Patribus consona praevaluit; et iam paratus erat Canon, in quo definiebatur per adulterium non dissolvi vinculum matrimonii, ut tradit Cardinalis Pallavicinius in sua Tridentini historia *Lib.* 22. *C.* 4. Sed Venetis Legatis intercedentibus, ne Orientis Ecclesiae, et praesertim Christiani in Insulis tunc Venetorum imperio subiectis offenderentur, Tridentini Patres, leniore concepta formula, tantummodo definierunt (*Sess.* 24, *Can.* 7.) *Ecclesiam non errare cum docet juxta Evangelicam, et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius couiugis matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge vivente aliud matrimonium contrahere*. Verum quidem est, canonem *Uxor a Viro* 17. *Caus.* 32. *qu.* 7, perspicue tradere adulteram uxorem dimissam innuptam manere debere, dimittenti vero secundum coniugium permitti: Gratianus ipse in eius Canonis, qui D. Ambrosio tribuitur, interpretatione valde torquetur; sed hodie eruditis est certum, exploratumque commentaria in Epistolis B. Pauli, Ambrosio tributa, ex quibus hic decerptus est canon, non esse Ambrosii; et suspicantur haeretici cuiuspiam manu haec verba adiecta fuisse. Sanctum vero Mediolanensem Antistitem aliter sensisse jamdiu indicaverunt Romani Correctores ad calcem dicti Canonis 17.

suam: vel si uterque coniux eiusdem criminis reus sit: vel si vir aut opera, aut hortatu causa adulterii fuerit; vel si crimen remiserit uxori, cum qua concubuerit eius culpam non ignorans (10).

Quæcumque autem fuerit causa non proprio arbitrio, sed re primum diligenter cognita, et Ecclesiastici iudicis sententia coniuges separantur (11). Quod faciendum in primis est, cum agitur de vinculo matrimonii. Quare ob impedimentum dirimens, matrimonium solutum haberi non potest, nisi primum ea de re sedulo quæsierit iudex Ecclesiasticus Episcopus (12), atque edita sententia solutum illud declaraverit.

Hoc autem iudicium certo ritu expediendum est, ne quid in re gravissima inconsiderate, ac negligenter fiat. Nimirum in omnibus his controversiis publicus matrimonii defensor esse debet, sive uterque coniux, sive alter tantum solutionem postulet: eoque citato gerenda sunt omnia, ut judicium valeat. Si iudex ratum firmum habendum esse definiverit matrimonium, neque quis ab ea sententia appellaverit, etiam matrimonii defensor abstinere se ab iudicii progressu debet, verumtamen ejus est provocare ad iudicem superiorem cum sententia contra vim matrimonii lata est. Altera senten-

(10) C. 6. et 7. *de Adult.*
(11) Ben. XIV. De Syn Dioec. L. 9. C. 9.
(12) Trid. *Ses.* 24. *C.* 20. *de R. Matr.*

tia si matrimonium similiter irritum declaretur, necesse non est iterum appellare, et finito iudicio coniuges, qui interim dum fervebat iudicium novas nuptias inire prohibebantur, ad eas transire libere possunt. Nunquam tamen de matrimonio sententia vim accipit rei iudicatæ (13).

Etsi teste Paulo solvatur per mortem coniugium, inire tamen superstiti coniugi novas nuptias non licet, nisi certa et indubia sint eius mortis argumenta, et indicia (14). Verum nec vidui cum vidua, nec viduæ cum virgine viro nuptiæ solemniter unquam benedicuntur; vidui tamen cum virgine benedici possunt ubi ea viget consuetudo (15), atque beneficio et officio suspendendus, et ad Sedem Apostolicam mittendus est Parochus, qui contra fece-

(13) Bened. XIV. Const. *Dei miseratione* 23. T. I. Bull. Const. *Si datam* 47. T: 2. Const. *Etsi matrimonialis* 51. T. 4.

(14) Fuit olim Romani juris disciplina, qua ubi de morte alicuius dubium esset, si per quinquennium non constitisset de eius vita, haberetur ut mortuus. *L. 6. ff. de divort.* Deinde cautum est ut quadriennium expectare sufficeret. Cum haec ab Iustiniano abrogata fuissent, statutum est non posse ad novas nuptias transiri, nisi de absentis morte certa essent testimonia. Id confirmasse visi sunt Pontifices Summi, qui voluerunt de morte absentis certo constare. Cap. In praesentia 19. *de Sponsalib. et matrim.* Non tamen uni tantummodo testi de morte coniugis perhibenti credendum, nisi de teste integerrimo ageretur, atque aliae conjecturae concurrerent; et testimonium editum sit coram Judice, ut pensatis causarum adiunctis, admodum verosimile appareat, nec maior eventus certitudo haberi possit commode. Idem dicendum videtur de vulgari fama ferente coniugem esse mortuum; neque enim aliter sufficere dicendum est, quam si fama aliquot adminiculis adiuvetur, adeo ut nullam amplius dubitationem superesse prudenter Iudex existimet. Vid. Cl. Berardi, *dissert. 7. quaest. 2. de secund. nupt.*

(15) Vid. not. Baruffaldi ad Ritual. Rom.

rit (16). Cæterum non secundæ solum, sed et aliæ sine præfinito ullo modo Nuptiæ tolerantur (17).

TITULUS XIV.

Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari. Tit. 18, Lib. IV.

Ex præmittendarum matrimonio denunciationum præcepto consequitur, ut quisque noverit impedimentum aliquod, deferre illud ad Ecclesiasticum iudicem debeat. At si denunciationum tempus exierit, nemo ad accusandum, seu ad dicendum contra initum matrimonium admittitur, nisi iureiurando comprobet suam denunciationum, aut impedimentorum per earum tempus ignorantiam.

(16) Cap. 1. *de Secund. Nupt.*

(17) Divina et Ecclesiastica lege permitti secundas nuptias nemini dubium esse potest, cum id declaraverit Apostolus Paulus *in Epist. 1. ad Corinth. c. 7.* Verum tamen est apud veteres Patres monumenta haberi, quibus jubentur fideles, quasi a quodam flagitio, a secundis nuptiis abstinere. Bigamos enim fuisse poenitentiae publicae addictos, a sacris etiam ordinibus exclusos, et secundis nuptiis sacerdotalem benedictionem negatam a sacris Canonibus certum est. Ex hoc vero minime concludendum secundas nuptias ab Ecclesia habitas fuisse ut illicitas. Sed canones illi commode explicantur. Bigami enim ab Ordinatione sacra rejecti fuere, non quod criminis rei, sed quod praeter defectum sacramenti, infirmiores haberentur, cum Ecclesia ad Clerum promovere curaret eos, qui caeteris virtute praestarent. Pariter Ecclesia secundis nuptiis benedicere non censuerit, sed benedictionis nomine intelligenda est non generalis illa, et nuptiis omnibus communis, sed maxime solemnis, quae etiam temporibus nostris solet omitti, non omissa communi. Quod si poenitentia bigamis imposita fuit, id non factum fuisse ad poenam admissi criminis luendam, sed ad infirmitatem juvandam credendum est.

Præterea ad accusandum admittuntur vel ipsi coniuges tantum, si alterius non intersit, et cohabitatio culpa vacare possit, qualis est impotentia coeundi (1), et error, et alterius coniugis adulterium post contractas nuptias perpetratum: quibus ex causis accusatio ad alios non pertinet, quam ad coniuges (2). Quod si impedimentum oriatur a delicto, aliave causa, puta quod coniuges in prohibito gradu contraxerint, admittuntur parentes eorum, et consanguinei servata gradus prærogativa, et post eos extranei.

Accusatio autem constare debet viva voce, duabus vel tribus honestis personis, vel ex cognatione adhibitis, vel ex vicinia iureiurando addito super veritate, atque alienatione animi ab omni gratia, vel odio, vel lucro, vel metu, quod iuramentum est etiam a testibus subeundum.

In testium numero item esse possunt proximi consanguinei, et parentes, quibus etiam accusantibus creditur. Si tamen alter coniugum dignitate, ac divitiis præcellat, parens inferioris coniugis pro-

(1) Si dubium est num impotentia matrimonium praecedens *perpetua* sit an temporalis, nefas est matrimonium inire; si vero jam contractum sit, triennium experientiae conceditur coniugibus eo modo quo diximus Tit. X. huius libri §. *Si adultus*. Matrimonio etiam per impotentiam relativam dissoluto, *Cap. 5. de frigidis* etc. permittitur iisdem ad alia vota transire, aut etiam simul cohabitare, si ambo consentiant, ea conditione, ut quas tamquam uxores habere non possent, habeant tamquam sorores, quod intelligendum est, ubi nullum adsit incontinentiae periculum.

(2) C. *Consultationi* 4. *de frig.* etc. C. *quemadmodum* 28. *de Iureiur.*

pter suspicionem fidei ad testimonium non admittitur, si ad honorem, vel lucrum captandum testimonium illius referatur (3).

TITULUS XV.

De cultu divino, diebus festis, et observatione Ieiuniorum. Tit. 46, Lib. III.

Dei cultus, quo nempe officia hominum erga Deum absolvuntur, duplex est interior scilicet et exterior. *Interior* est, quo debitam supremo Numini venerationem, et obedientiam reconditis animi nostri fidei, spei, et præcipue charitatis actibus testamur. *Exterior* est, quo intimam ipsam, qua pervadimur erga Deum, reverentiam externis quibusdam indiciis patefacimus (1).

Hinc orti Ecclesiæ *ritus*, sive actus exteriores illi, formulæve, quibus in sacris peragendis Ecclesia utitur; cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli (2). Huiusmodi autem sunt mysticæ benedictiones, Rogationes, lumi-

(3) Cap. 22. *de testib.* etc. V. h. tit. *in Decret. Greg. IX.*

(1) Cultus qui soli Deo debetur in signum, et protestationem supremi dominii, quod in res omnes creatas obtinet, dicitur *Latria*; ut *Hyperdulia* est cultus qui SS. Dei Matri debetur prae caeteris Sanctis, quibus *Duliae* cultus defertur.

(2) Trid. *Ses.* 22. *Cap.* 5.

na, hymni, thymiamata, sacræ vestes, aliaque id genus multa, quæ ab Apostolica disciplina et traditione descendunt. Cæteris porro ritibus ii præstant, qui in Sacramentorum solemni administratione ab Ecclesia Catholica adhibentur. Unde ii neque contemni, nec sine peccato a ministris pro libito omitti, nec in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari possunt. Qui aliter dixerit (inquit Tridentina Synodus *Can.* 13. *ses.* 7.) anathema sit.

Huc quoque referenda ex Apostolica traditione proveniens *festorum*, nempe dierum, principalium Religionis nostræ mysteriorum, Sanctorumque hominum, ac præsertim B. V. Mariæ commemorationi destinatorum celebratio, in eum instituta finem, ut fideles piis operibus et exercitationibus vacarent. Quapropter cuncta opera servilia, forensia, et publica negotia prohibita sunt; quamvis nunc fere ubique festorum numero ex specialibus Pontificiis civilibusque Constitutionibus modus impositus sit, permissumque Christianis, ut Dominicis, nonnullisque aliis solemnioribus diebus exceptis, cæteros ita celebrent, ut postquam divino adfuerint sacrificio, propriis singuli artibus, negotiisque operam dare possint (3).

(3) Summi Pontificis est instituere festos dies, ab Ecclesia religiose servandos. Hac auctoritate pollent etiam Episcopi in propria tantum Dioecesi, non tamen sine consensu Capituli. Urbanus VIII. Summus Pontifex idibus Septembris an. 1642, edidit Bullam, quae incipit *Universa per orbem*, in qua dies festos restrinxit ad

Ut autem fidelium animi ad sublimiora contemplanda mysteria, vel ad sanctorum virorum virtutes imitandas per corporis abstinentiam excitarentur, a primis Ecclesiæ incunabulis *Vigiliæ*, ac ieiunii dies constitui cœperunt, quibus a carnibus, ovis, lacticiniis, et post unicum prandium a cibo quolibet est abstinendum, si tenuem vespertinam (4) refectionem inolita iam consuetudine toleratam excipias (5).

numerum designatum, (qui etiam hodie est in usu) declarans quoscumque alios dies, vel ex consuetudine, vel lege festivos non amplius obligare, et monet Episcopos abstinere a novis festis instituendis, et suae Bullae conformari; insuper statuens diem festum Patroni principalioris tantum esse de praecepto servandum, aliis omnibus Sanctorum Patronorum minorum festis exclusis. Benedictus vero XIV. in sua Bulla ad Episcopos Etruriae d. 19. Iulii 1749. in aliquibus ex his festis decrevit posse Christifideles operibus servilibus vacare, audita tamen Missa; in aliis vero praeceptum integre servari oportere.

(4) Collationis, seu vespertinae coenulae origo a Monachis repetenda esse videtur. Ipsis enim jejunii diebus, ob manuum laborem permittebatur ut antequam cubitum irent, aquam biberent! ne vero simplex aqua noceret, panis frustulum exinde potioni additum est. Collationis vero nomen a spirituali lectione, quae ante completorium in Capitulo quotidie fieri solebat, quaeque *collatio* dicebatur ad serotinam illam refectiunculam translatum est, et a saecularibus hoc sensu tantum postea usurpatum. Diebus enim jejunii *collationem spiritualem*, nempe *lectionem* in cella ad prandium addicta habere Monachi coeperunt; ne tempus in sumenda coenula tererent. Vid. Gonzalez in Cap. A crapula *de vit. et hon cler. n.* 10. et late in Cap. Exparte *de observat. jejun. n. 7. et seqq.*

(5) Quod attinet ad observationem jejuniorum consulenda est Epistola Benedicti XIV. an. 1741. ad omnes Catholicos Episcopos data; et altera eiusdem Pontificis ad Archiepiscopum Valentiae an. 1742. In his inter caetera observanda expresse declarat, circa jejunii disciplinam, *licitas et interdictas epulas promiscue minime apponendas esse: epulas vero licitas pro iis quibus est permissum carnes comedere, esse carnes ipsas: epulas vero interdictas esse pisces: adeoque utrumque simul adhiberi non posse;*

Inter solemnes Religionis dies eminet Pascha, quo Resurrectionis Dominicæ memoria recolitur, cuique diem (6) statuit contra Quartodecimanos Oecumenica 1. Nicæna Synodus; præmittique ex Apostolica traditione solet Quadragesimale ieiunium (7), animabus corporibusque curandis saluberiter institutum.

et hoc praeceptum de utroque epularum genere non miscendo complecti quoque Dominicos dies quadragesimales statuit.

(6) Soluto Nicaeno Concilio, Patriarcha Alexandriae, ubi Astronomorum Principes floruere, quotanuis diem veram Paschatis indagabat, eamque Romano Pontifici significabat; Romanus vero caeteris Episcopis, iis literis, quae ob hanc causam *Paschales* appellabantur, et solemni more in singulis Cathedralibus ab Archidiacono publicabantur.

(7) Paschae solemnitatem jejunium quadragesimale praecedit. Calviniani contendunt veteris Ecclesiae jejunia non necessitate, sed pro arbitrio fuisse observata a Christianis; sed in maximo versantur errore. Certum enim est Ecclesiae veteris jejunia, et praesertim quadragesimae ex necessitate observanda fuisse, ut probat Natalis Alexander *saecul.* 2. *histor. Eccles. dissert.* 4. Quarto saeculo quadragesima triginta sex diebus jejunio addictis constabat; et haec trium priorum saeculorum fuisse videtur disciplina in plerisque Ecclesiis. In nonnullis Ecclesiis illa ipsa quadragesima sex hebdomadibus, in aliis septem claudebatur; et haec varietas a diversitate disciplinae pendebat; nam in multis Ecclesiis, praesertim Orientalibus Sabbatum festum erat, atque ideo in eo non jejunabatur; in aliis vero, et praesertim in Romana erat jejunio addictum. In quadragesima jejunium usque ad vesperam prorogabatur; in aliis diebus hora nona Christiani solvebant jejunium, et hanc consuetudinem in usu fuisse etiam saeculo XII. apparet ex D. Bernardo *sermon.* 2. *de quadrag* Nonnullos fuisse Christianos primis saeculis, qui in hebdomada magna ita intendebant jejunia, ut pluribus diebus sine cibo persisterent penitus jejuni testantur Epiphanius, et Dionysius Alexandrinus.

TITULUS XVI.

De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis Tit. 48. Lib. III.

Ecclesiæ nomine hic intelligitur locus, ubi conciones, et coetus fidelium celebrandorum causa sacrorum habentur (1). Atque ut ædificari publice Ecclesia possit, oportet ipsum locum sacris perficiendis esse aptum, congruam dotem ipsi adsignari, ac adesse consensum Episcopi, cuius in diœcesi erigitur, et eorum quorum interest: qui tamen consensus si iusta sit novæ construendæ Ecclesiæ causa, est omnino præbendus. Hac enim re multum Episcopis etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatis tribuitur (2). Quod si congrua portio ædificatæ Ecclesiæ ex antiquæ proventibus attribuitur, propterea veteri Ecclesiæ super nova quæritur Iuspatrona-

(1) Primos fideles habuisse loca ad opera religionis et pietatis peragenda, non tantum Apostolus 1. *ad Corinth. C.* 11. sed omnes antiqui scriptores plane evincunt. Haec loca *Ecclesias* potius, quam *Templa* veteres Christiani dixere, quia Templi nomine indicaretur locus falsis Gentium Diis dicatus, a quo merito exhorrebant. Sed eversa idololatria, ac Templis in Ecclesias consecratis, Patres Templi nomine uti coeperunt. Ecclesias autem fuisse a fundamentis exstructas, etiam ante Christianos Imperatores, probat Baronius ad an. 57. De veterum Ecclesiarum forma et partibus videsis Selvagium *antiquit. Christ. Tom.* 3. *lib.* 2. *part.* 1. *Cap.* 2.

(2) Novel. Iustin. 67. *Cap.* 1. etc. Trid. *ses.* 21. *Cap.* 4. *de Ref.*

tus propter honorem, quem debemus eis, a quibus alimur (3).

Porro Ecclesia collabente opus præbere ad illius reparationem debent quicumque occasionem ruinæ dedere; qua de causa bona eorum sunt ad eos sumptus tacite obligata: deinde ii quos enumerat Tridentina Synodus (4). Præcepit itaque, ut Ecclesia potissimum reparetur ex ipsius fructibus: quibus deficientibus ex bonis patroni, aliorumque fructus percipientium, vel si ii desint, e substantiis Parochianorum, qui ea Ecclesia utuntur. Tertio si non sit Parochialis reparari debet ex fructibus eorum, qui beneficia ibi possident pro rata beneficiorum, et fructum, et ex fructibus pro fabrica destinatis.

Quamvis autem liceat cuique Oratoria domi privatim habere ad pietatis actus exercendos; venerabile tamen Missæ sacrificium celebrare non licet præterquam publice in Ecclesia. Etsi vero licuisset olim Episcopis concedere veniam in privatis Oratoriis celebrandi; tamen post Concilium Tridentinum sacræ illius Congregationis decreto, ea facultas Episcopis est erepta, ut a solo Summo Pontifice venia hæc impetrata suffragetur; qui solet eam concedere

(3) Ritus Ecclesiae aedificandae videndi sunt in Can. *Nemo* 9. *dist.* 1. *de Consecr.* et in Pontifical. Rom. Part. 2. *De benedictione, et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda.* Vide etiam Cap. *Ad audientiam hoc tit.* quod innovavit Synodus Tridentina.

(4) *Ses.* 21. *Cap.* 7. *de Ref.*

exceptis diebus festis solemnioribus: neque venia hæc eximit a præcepto audiendi sacrum in Ecclesia diebus festis, nisi ipsum dominum, et eos, quos in suis literis Pontifex nominatim exceperit, ad quos privilegium etiam quoad cætera est omnino exigendum. Oratoria vero privata Cardinalium publicarum Ecclesiarum loco habentur: unde nullis exceptionibus subijciuntur.

Religiosis quoque locis accensentur *Cæmeteria* humandis fidelium cadaveribus destinata (5), *Hospitalia*, quæ variis nominibus distinguuntur (6), *Mona-*

(5) Coemeterium ex graeca voce Κοιμητήριον significat *dormitorium*. Christianorum enim fide resurrectionem mortuorum docente, illic deposita corpora causa dormiendi jacere fideles existimabant, donec Christo adveniente, resurgerent. In Ecclesiis defunctorum corpora non statim apud veteres receptum est tumulari; quin immo id expresse vetitum fuit per *L. Nemo* 2. *Cod. de Sacr. Eccl. L. Mortuorum* 12. *Cod. de Religios. etc. et Can. Praecipiendum* 15. *Caus.* 13. *qu.* 2. et ex Lege XII. Tabularum, ne in Urbibus quidem mortui sepeliri poterant; ideo Coemeteria fiebant extra moenia, et saepe in viis. Imperatores postea concesserunt sepelire in Civitatibus, ubi Coemeteria extruebantur, quod obtinuit sub Theodosio, vel D. Gregorii tempore. A Civitatibus paullatim transiit usus ad Ecclesiarum vestibula, dein ad ipsas Ecclesias, ubi tumulo tegi nonnisi viris sanctimonia claris concessum, postea Ecclesiasticis, demum hominibus in summo dignitatis fastigio constitutis; sed post octavum saeculum Laici in Ecclesiis indiscriminatim sepeliebantur.

(6) Hospitalia proprie dicuntur loca hospitibus, ac peregrinis excipiendis destinata; et vulgo sub eo nomine comprehenduntur omnia loca, quae alendis, educandis, curandis quibusvis hominibus ope egentibus addicta sunt. Constat quidem Hyrcanum in primis apud Iudeos hospitalia extruxisse, ac splendide dotasse: et ut multiplex est naturae humanae calamitas, sic varia locorum ubi succurritur appellatio: Xenodochia, hospitibus et peregrinis itinere fatigatis: Orphanotrophia, orphanis alendis, et educandis: Nosocomia, aegrotis curandis: Ptochotrophia, pauperibus sustentandis: Gerontocomia, alendis senectute languentibus: Bre-

steria, et *clericorum Seminaria*. His oratoria, seu Capellæ annecti plerumque solent: unde omnium cura iure communi ad Episcopos pertinet: idque potissimum obtinet in Seminariis (7). Ad cœmeteria vero quod attinet commemoranda est Ritualis Romani regula: *ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in cœmeteriis retineatur, et ubi fieri potest restituatur* (8). In omnibus autem sua cuique loco sunt privilegia servanda.

TITULUS XVII.

De consecratione Ecclesiæ vel Altaris Tit. 40. Lib. III.

Consecratio est actus, quo per ritus quosdam, præsertim vero per chrismatis oleive unctionem adiunctis precibus loca, vel res divino cultui dedicantur (1). Quod si simplicior sit ritus, et aqua tan-

PHOTROPHIA, nutriendis infantibus nuper natis, et expositis. De his omnibus late Migliorucci *instit. Canon. Lib. 2. Tit. 25. de religios. domib.*

(7) Trid. Sess. 23. Cap. 18. de Ref.

(8) Tit. de Sepult.

(1) Universas gentes loca sacra certis ritibus, et formulis, quibus ab humano commercio secernerentur consuevisse dicare, satis exploratum est. Hunc ipsum morem Iudei veteres excoluerunt, et a Catholicis etiam jampridem receptus est (abolitis tamen omnibus Haebraicae superstitionis ritibus) ut colligitur ex plurimis veterum scriptorum testimoniis, praesertim Eusebii, et S. Athanasii. Sed diversimode pro temporum, locorumque varietate Ecclesiae dicatio perficiebatur. Varia *consecrationum* genera in Pontificali Romano, *benedictionum* autem in Rituali descripta reperies. Cae-

tum lustralis, seu benedicta adhibeatur, dicitur *Benedictio*.

Insuper Consecratio nonnisi ab Episcopo, Benedictio autem vel a Presbytero ex Episcopi delegatione, privilegio, vel consuetudine, vel sacerdotis proprio iure perfici potest; sed confectio chrismatis, oleique tam in Baptismate, quod Catechumenorum dicitur, quam in extrema Unctione adhibendi ab Episcopo tantum feria quinta in cœna Domini apud nos peragitur.

Itaque ut ad rem nostram veniamus, in ædificatis Ecclesiis ante peragenda sacra non sunt, quam fuerint per Episcopum ipsum dioecesanum, aut alium Episcopum mandato illius consecratae, aut saltem per delegatum Presbyterum benedictæ. Neque enim potest Episcopus alteri se inferiori mandare consecrationis munus, cum illud sit ordinis, non iurisdictionis (2). Consecratio fit delibatione superficiei interiorum parietum, qui sacro liniuntur chrismate, impressis crucibus, adhibitis sanctorum

remoniae in consecratione Templi materialis adhibitae, figuram illarum exhibent, quae in spiritualis templi, scilicet animae dedicatione Deo per Baptismum facta adhibentur. Hinc aquae benedictae aspersiones, iniunctiones sacro chrismate, caterique ritus, quos inter praestat duplicis *Alphabeti* graecis, latinisque literis in ipso Templi pavimento delineatio, indicans nempe initia et rudimenta doctrinae Sacrae, ut efficitur in baptismo, per instrutionem, seu catechizazionem Neophitorum in primis fidei, et Religionis elementis, ut ait Ivo Carnotensis a Wan-Espenio relatus I. E. U. *part.* 2. *Tit.* 16. *Cap.* 3.

(2) Cap. *penult. h. T. Pontif. Rom. P.* 2.

reliquiis inter missarum solemnia diebus festis, quamvis aliis diebus, et sine missæ solemniis facta minime sit irrita. Semel autem facta nunquam repetitur, nisi tota pene collapsa, aut exusta instauretur Ecclesia; vel nisi de illius consecratione ambigatur (3).

Si vero Ecclesia publice polluatur per sanguinis, aut seminis humani effusionem, aut per sepulturam pagani, vel excommunicati vitandi, tum non consecranda iterum est, sed expianda, sive reconcilianda, effosso cadavere cum aspersione aquae benedictæ (4).

Consecratur etiam altare lapideum (5), sive mobile, sive fixum a solo Episcopo: et iteranda est ei consecratio, si frangatur graviter, vel si e basi, ubi fuerat affixum, evellatur (6).

Denique *si Ecclesia non consecrata* (sed tantum benedicta) *fuerit polluta, aqua protinus exorcizata* (a Sacerdote per Episcopum delegato) *lavetur, ne divinae laudis organa suspendantur. Est tamen quam citius fieri poterit consecranda* (7).

(3) Can. *Ecclesiae* 18. *D.* 1. *de Cons.*
(4) Cap. *Aqua penult. hoc T.*
(5) Persecutionum tempore Altaria erant lignea, et portabilia; sed post pacem Ecclesiae a Constantino Imperatore datam, altaria facta sunt lapidea, et postmodum ligno constructa inhibita fuere; et hoc primum statutum invenitur in Gallia in Concilio Epaonensi an. 517, cap. 26, ibi: *Altaria si non fuerint lapidea chrismatis unctione non consecrentur*. Can. *Altaria* 31. *dist.* 1. *deConsecrat.*
(6) C. *eod.* et Cap. *Ligneis* 6, *h. T.*
(7) Ita Greg. IX. in cap. si *Ecclesia* h. T., ubi Vide Rit. R., et Sarti, Saggio di Ermeneut.

TITULUS XVIII.

De immunitate Ecclesiarum, coemeteriis, et rerum ad eas pertinentium Tit. 49. L. 3.

Immunitas est libertas locorum, rerum, vel personarum sacrarum a poenis, muneribus, et oneribus profanis. Unde est vel *localis*, qua gaudent Ecclesiæ, et alia loca ecclesiastica, vel *realis*, quæ rebus, et bonis ecclesiasticis competit, vel *personalis*, quæ personis tribuitur.

Localis Ecclesiis competit seu consecratis, seu non consecratis, seu interdictis usque ad passus 40, si Ecclesia sit baptismalis, si vero sit Ecclesia minor, usque ad 30 (1). Immunitatis jure quoque gaudent coemeterium sive continens Ecclesiæ sit, sive disiunctum, atrium, item palatium tam Episcopi quam Cardinalium; Monasteria, Sacella Episcopi auctoritate constructa, perpetua Oratoria, modo ne privata sint, vel intra domos carceribus destinatas: item et hospitalia, et seminarium clericorum, et claustra Religionis. Canonicorum domus intra 40, vel 30 passuum ambitum iuxta superiorem distinctionem constitutæ, non autem laicorum domus, ne immunitas ubique pateat. Unde in

(1) Can. *Sicut antiquitus Caus.* 17. qu. 4.

civitatibus propter frequentiam Ecclesiarum, et vicinitatem domorum hæc passuum exemptio locum habere non potest. Demum etiam sacerdos Eucharistiam deferens ad se confugientibus asylum præstat, de quo inferius (2).

Ac primo, ut ipsa naturalis ratio suadet, ac Sacræ confirmant literæ id immunitas præstat, ut omnis profanus actus, omnis contractus, omne mercimonium, omnis iudicii species, aliudve quid cultui divino minime conveniens a sacris locis procul absit; ut Domus Domini domus orationis esse videatur, et dici possit. Hinc intelligitur quæ musices ratio templum Dei deceat, de qua Tridentina Synodus (3).

Alterum immunitatis caput est, ut asyli iure sacra et religiosa loca fruantur, idest ut *tutum* sit ad ea reis criminum perfugium, cuius exempla prostant in veteris testamenti codicibus, atque apud ethnicos inveniuntur (4), ex quo fit, ut neque per vim, neque per dolum, puta blandis verbis quisquam extrahi inde possit cuiusvis sit Religionis, aut sectæ, neque dum in Ecclesia manet necessario victu privari, aut in vincula coniici: et si extrahatur, is qui extrahit, excommunicationis pœnam in-

(2) Vide Fagnanum hoc Tit.
(3) Sess 22. Decr. *de observand. et evit. etc.* et Extrav. unic. de vit. et hon. Cleric. int. Comm.
(4) Deuter. C. 4. V. 41. Ios. Cap. 20, V. 7. Num. C. 35. V. 14, Lib. 3. Reg. C. 2.

currat Summo Pontifici reservatam, uti habetur in Constitutione Gregorii XIV. quæ incipit *Cum alias*, qua Bulla totum hoc immunitatis negotium plenius explicatur.

Ne tamen confugii spes impunitatem, et licentiam, atque frequentiam pariat gravium delictorum, certa sunt crimina veteribus Canonibus excepta, et in eadem Bulla, aliisque recentiorum Pontificum Constitutionibus expressa nominatim, quæ propter eorum enormitatem ecclesiasticæ immunitatis commodum adimunt.

Iure igitur asyli penitus destituti sunt laesae Maiestatis in personam Principis rei: qui segetes, vinearumque fructus comburendo, destruendo, vel devastando agros depopulantur: publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, publicasve obsidentes vias, viatores ex insidiis aggrediuntur interficientes proximum animo præmeditato, ac deliberato (5): qui sub nomine Curiæ sese in alienas domos animo perpetrandi ibidem rapinas introducunt, easque reipsa cum homicidio, aut membrorum mutilatione committunt: qui in Ecclesiis earumque coemeteriis homicidia vel membrorum mutilationem ausu temerario committunt, vel qui stantes in Ecclesia extra eam, aut viceversa ex-

(5) Benedictus XIV. Bulla *officii nostri* hoc confirmavit, et declaravit comprehendi etiam Ecclesiasticos et mulieres reas homicidii, sicut etiam occidentes baculo, aut saxo; excepto tamen homicidio casu, vel necessaria defensione commisso.

tra Ecclesiam stantes in atriis, vel septis eius homicidium, aut mutilationem perpetrarunt, nec non illi qui confugientibus ad Templum vim inferunt, ipsosque ab eodem, aliove immuni loco per vim extrahunt: in crimine assassinii etiam mandantes, certumque pretium aut mercedem in rem hanc tradentes, pollicentesve, etsi promissio nullum fuerit effectum sortita: falsificantes literas Apostolicas, seu ministri Montis Pietatis, vel alterius publici telonii pro depositis Principis, seu privatorum, furtum, aut falsitatem in illis locis committentes, cuius ratione ita minuatur arca pecuniaria, ut poenæ ordinariæ locus sit: conflantes, adulterantes, vel tondentes monetam auream, vel argenteam, vel illam ita expendere, aut erogare præsumentes, ut non sine causa fraudis conscii, atque participes esse censeantur.

Neque tamen in his casibus permittitur extractio auctoritate cuiusque iudicis, nisi petita ab Episcopo venia, vel a Vicario, ut in laudata Bulla Gregoriana, et in alia Benedicti XIII. *Ex quo* continetur (6).

Sequitur immunitas realis rerum sacrarum, nempe vasorum, vestium, et similium, sed et bonorum Ecclesiæ, quæ immunia sunt iure communi a ve-

(6) Consule Wan-Espen. et Franc. Foggi in peculiari dissertatione cui Titulus „ *Saggio sopra l'impunità legittima o l'asilo, in Livorno*, 1774. „ ubi plurima scitu digna singulari doctrina exponuntur.

ctigalibus, tributis, oneribusque aliis laicis, si id ipsi ex antiqua fundatione competat: nisi onera sint fixa, et invariabilia, quæ permanent in rebus ipsis, quamvis ad Ecclesiam transierint (7).

De personali demum Clericorum immunitate diximus superiore nostrarum institutionum libro.

TITULUS XIX.

De Præbendis, et dignitatibus, seu de Beneficiis. Tit. V. Lib. 3.

De spiritualibus, deque Deo consecratis rebus hactenus: nunc ad Beneficia progrediamur, quæ spiritualibus simul et temporalibus constant, uti ostendit ipsa Beneficii definitio.

Beneficium enim definitur *ius ecclesiastica auctoritate constitutum in perpetuum percipiendi quosdam reditus ecclesiasticos, quod Clerico propter spirituale ministerium vel officium conceditur. Præbendæ* autem nomen quamvis ad omnes reditus ecclesiasticos Clericorum, ac quodvis Beneficium pertineat; angustiori tamen significatione pro maioribus eorum beneficiorum reditibus accipitur, quibus chori *officia* coniuncta sunt.

(7) Cap. *Sancitum de Censib.* et Cap. *Ex literis de pignorib.* etc. Quoad immunitatem, et asylum, alia est in Etruria praxis.

Ad annum 502. de Symmachi Papæ decreto (1), scribens Baronius, ac certe ad initia sæculi sexti refert Beneficiorum originem. Raræ primum fuerunt fundorum clericis bene de Ecclesia meritis factæ concessiones; sed ad vitandas fraudes, et querelas in exequenda communium bonorum divisione *ordinariæ* illæ evasere, paulatim tamen, et usu potius, quam vi canonis illius, qui eas constituerit (2).

Itaque ex iam dictis consequitur 1. Erectionem in titulum perpetuum requiri Ecclesiastici superioris auctoritate factam, ut pia aliqua institutio Beneficii naturam induat: Maiorum Beneficiorum instituendorum potestas, cuiusmodi sunt Dignitates,

(1) Habetur hoc decretum in Can. *Possessiones Caus.* 16. *qu.* 1.

(2) In primitiva Ecclesia Hierosolymitana fideles cuncta habuere communia. Quoad alias Ecclesias nulla fuit, quae pro facultatibus non suppeditaret, quod erat sumptibus necessarium; et Ecclesiae bona illis temporibus praecipue consistebant in rebus mobilibus; veluti in pecunia, frumento, vino, oleo, et vestibus. Nihilominus etiam tempore persecutionum, Ecclesiae habuere immobilia bona. Sed pace redeunte Magni Constantini opera, libere donatum Ecclesiis. Illis igitur temporibus, duplicis generis fuere Ecclesiae bona: *fundi* nempe e quibus certi reditus et *quotidianae oblationes*, quae parcius quidem, sed tamen fiebant. Horum bonorum administratio, vel Archidiaconis dabatur, vel Oeconomis; qui in omnibus Ecclesiis e clericorum numero lecti sunt Episcopo rationem reddituri. Bona illa erant communia, et ex nutu Episcopi inter Clericos, et pauperes distribuebantur. Sexto circiter Saeculo horum bonorum divisio facta est in quatuor partes quarum una Episcopo, altera Clero, tertia pauperibus, quarta Ecclesiis reparandis cessit. Ex hac portione bonorum, perpetua in singulos titulos ministeria orta sunt, et Ecclesiastica beneficia. Nam olim agri fiscales, qui mediis saeculis a Principibus pro militari servitio et fide militibus dabantur *beneficia* dici solebant, et Germanica voce *feuda*. Hinc bona Ecclesiastica suis titulis perpetuo annexa, et pro Ecclesiastico servitio dari solita *beneficia* audierunt.

ipsique Canonicatus penes est Summum Pontificem: Parochiae, et cætera minora Beneficia in Episcopali potestate sunt. 2. Neminem Beneficio spoliari posse, nisi ob crimen, quod adiunctam habeat huiusmodi privationem canonico iudicio decernendam. 3. Fructus suos quidem beneficiarium Clericum facere, ac bona Ecclesiæ tamquam frugi patremfamilias administrare debere; fundorum autem directum dominium penes Ecclesiam permanere. 4. Ecclesiastica Beneficia in pluribus feudorum, quæ pariter Beneficia in iure civili dicuntur, naturam imitari. 5. Ecclesiastica beneficia, cum propter officium dentur (3) idoneis Clericis concedenda esse, et quidem dignioribus. 6. Denique pro varia sacrorum officiorum indole, proque variis beneficiorum concedendorum modis, plures esse debere eorum species (4).

(3) Quamvis paullatim a veteri diversa disciplina invaluerit in Ecclesiasticis reditibus concedendis, tamen cum Ecclesia eodem semper spiritu fuerit excitata, praeter eiusdem intentionem esse videtur, ullum beneficium etiam *simplicem*, sine *officio* esse. En ut loquitur Synodus Coloniensis an. 1549, *tit.* 9. *can.* 3. „ *Divini Juris est, ut qui servit Altari, de Altari vivat; ita nec bono jure is qui non servit Altari, de Altari vivit: sicut stipendium non debetur nisi militanti.* „ Hac de re notatu digna habetur Constitutio Bonifacii VIII. in Cap. *final. de rescript. in VI.*, qua idem Pontifex omnes indulgentias Clericis factas, vel a se, vel a suis Praedecessoribus de percipiendis perpetuo fructibus beneficiorum *in absentia* penitus revocavit. *Vid. Gloss. in dict. cap.*

(4) Ad quatuor classes referunt nonnulli ex Canonistis multiplicem beneficiorum divisionem, quarum primam desumunt ex personarum genere, quibus beneficia conferuntur, ut *regularia*, *saecularia etc.*; alteram ex officio, ac munere beneficiatorum, ut *duplicia*, et *simplicia*; tertiam ex vario provisionis, seu conces-

Alia enim nunc dicuntur *Simplicia*, quæ Clerico proventus suppeditant sine obligatione specialis alicuius ministerii (5), modo is Canonicas horas persolvat, quæ propterea vocari consueverunt *Divinum officium*, aliisque levibus, ut vulgo dicitur, iniunctis oneribus vel per se, vel per alios satisfaciat; quæ disciplina non ante sæculum XI. inolevisse videtur. Alia contra *Duplicia* sunt, vel, ut aiunt, *qualificata*, quæ distinctam ab iure qualitatem, vel peculiare ministerium adnexum habent, veluti animarum curam, Dignitatem, Personatum etc., quorum definitionem superiori libro tradidimus Tit. 13.

Deinde Beneficia dividuntur in *Sæcularia*, *Regularia*, et *Communia*. *Sæcularia* sunt, quibus sæculares Clerici vel ex propria ipsorum natura, vel ex voluntate constituentium, vel ex consuetudine, aut præscriptione præfici debent. *Regularia*, quæ iisdem ex causis Regularibus, aut Monachis sunt concedenda. *Communia*, quæ ab utriusque obtineri possunt.

sionis genere, ut *electiva*, *collativa*, et *mixta*; denique ex vario modo illa possidendi ut *manualia*, quae ad collatoris arbitrium revocari possunt, quaeque proprie dici nequeunt beneficia, *et non manualia*, quae semel collata, nisi legitima interveniente causa a jure statuta, auferri minime possunt. Vid. Cabass. *Iur. Can. Theor. et prax. Lib.* 2. *Cap.* 1. *num.* 10.

(5) Simplicium beneficiorum meminit Gregorius IX. in Cap. *final. de praeb. et dignit.*, quibus adnumerandae quoque sunt *Capellae* sive *Capellaniae*. Capella constituit corpus per se, et est veluti sacra aedicula, aut etiam Ecclesia a parochiali seiuncta; et Rector vocatur qui ei praeest. Sacellum autem, aut altare in aliqua Ecclesia erectum *Capellania* dicitur, et qui ei praeest *Capellanus perpetuus*.

Tertio alia sunt *electiva*, quæ per Capituli, aut alterius collegii suffragia; alia *collativa*, quæ libera Superioris voluntate; alia *mista* seu *iurispatronatus*, quæ ratione habita nominationis Patroni a Superiore conceduntur.

Quarto demum, aliis omissis divisionibus, quædam Beneficia sunt *compatibilia*, alia *incompatibilia* (6). *Compatibilia* vocantur quorum duo ab ea-

(6) Nil expresse contra beneficiorum pluralitatem in antiquis canonibus cautum est, cum beneficiorum collationis distinctio ab ipsa ordinatione nondum invaluisset. Illud tamen verum est, quod ubi canones ipsi, antequam reditus Ecclesiastici in beneficia erigerentur, quemquam duabus Ecclesiis adscribi, vel intitulari vetarent, reipsa prohibuere plura beneficia in diversiis Ecclesiis ab eodem retineri. Atque huc spectant bini canones 10, et 20 Chalcedonensis Concilii, quorum prioris retulit Gratianus fragmentum seu summarium in Can. *Clericum* 2. *Caus.* 21. *qu.* 1. his verbis: *Clericum in duarum Ecclesiis Civitatum eodem tempore conscribi non oportet*; et huius prohibitionis fundamenta sat exprimunt Patres septimae Synodi *Can.* 15. ibi: *Clericus ab hoc deinceps tempore in duabus Ecclesiis non collocetur: negotiationis enim, et turpis lucri proprium est, et ab Ecclesiastica consuetudine alienum*; et quamvis occurrant exempla, quibus binae Cathedrales, vel Parochiales Ecclesiae uni Episcopo, vel Presbytero regendae concederentur, tamen et hoc admodum rarum, et nonnisi urgente necessitate permissum fuit. Secutis vero temporibus beneficiorum pluralitate vitiose recepta, eam Synodorum canones evertere conati sunt, sed nunquam radicitus potuerunt. Ea de re plurimum laborarunt Patres Concilii Lateranensis III. *Cap.* 3. *de Cleric. non resident*. et Lateranensis IV. *Cap.* 28. *de praebend. etc.* Sed cum in hoc Innocentii III. decreto adiecta fuisset clausula (*in fin. dict. C.* 28, *de praebend.*) nempe, *Circa sublimes tamen, et literatas personas, quae majoribus beneficiis sunt honorandae, cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari*, veluti ius ordinarium paullatim evasit, per Pontificiam dispensationem plura beneficia retinere etiam curata; de quibus frequentibus dispensationibus conqueritur Ioannes XXII. in notissima Extravaganti *Execrabilis* de *Praebend.* etc. ubi modus dispensationibus positus est; haec Constitutio omnino videnda. Tandem Tridentini Patres debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupientes, tantae Ecclesiastici ordinis inversioni consuluere *Sess.* 7.

dem persona, eodemque tempore possideri queunt; cuiusmodi sunt simplicia, quæ residentiam non requirunt: ideoque cum pluribus sui generis, vel etiam cum curatis beneficiis cohærent. *Incompatibilia* vero sunt, quorum duo retinere simul non licet propter residentiam, vel ministerium singulis adnexum, ut duo sunt Parochiæ, vel Parochia cum dignitate etc. Dividuntur autem hæc in incompatibilia *primi generis*, seu *Titulo*, et in incompatibilia *secundi generis*, seu *Retentione*. Primi generis incompatibilia sunt quæ per adeptionem alterius ipso iure vacant, cuiusmodi sunt duo Beneficia curata, duæ Dignitates, duo Personatus, duoque officia cum administratione aliqua: itemque duo *uniformia* sub *eodem tecto*, idest par officium habentia in eadem Ecclesia: veluti duo eiusdem Ecclesiæ Canonicatus, duæ Capellaniæ. Incompatibilia secundi generis, quæ non vacant ipso iure, quamvis retineri nequeant simul, sed eligere quis debeat alterutrum, alioquin altero per superiorem privabitur. Tales sunt duo Canonicatus in diversis Ecclesiis, cum Canonicatu Parochia alibi constituta, et alia, quæ

Cap. 2. *et* 7. *de reform. et Sess.* 24. *Cap.* 17. *de reform.* ubi decreverunt, *ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam eius, cui conferatur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, ei conferri*. Tridentino igitur iure beneficiorum divisio facta est in ea quae *compatibilia* dicuntur, et *incompatibilia*, de quibus plura tradit Wan-Espenius *I. E. U. Part.* 2. *Tit.* 20.

residentiæ legi subiacent, licet sine animarum cura, dignitate, personatu, peculiarique officio sint, alioqui enim ad primum genus pertinent.

Sciendum est autem beneficia incompatibilia primi generis ipso iure non vacare, nisi per possessionem pacificam, quam quis coeperit alterius beneficii, vel capere potuerit (7).

TITULUS XX.

De variis beneficia conferendi modis, seu de concessione præbendæ, et Ecclesiæ, non vacantis. Tit. 7. et 8. Lib. 3.

Collatio in genere est *beneficii, vel ecclesiastici muneris de iure saltem vacantis* (1) *idoneæ alicui personæ canonice facta concessio.*

(7) Cit. Cap *de multa de Praeb.*

(1) Magni interest perspicere, quae beneficia vacare dicantur; vacare dicuntur ea quae a nemine possidentur, vel possidentur quidem, sed non jure. Vacatio igitur evenire potest vel *de jure*, et *de facto simul*, vel *de jure tantum*, vel *tantum de facto*. *De jure et de facto simul*, quando deest qui beneficium possideat, quique jus in eo habeat, nempe beneficiati morte, renuntiatione, degradatione, aut translatione sine Pontificis auctoritate; in quibus casibus beneficium libere confertur. *De jure tantum*, quando jus ipsum inducit beneficii vacationem, cuius tamen possessio adhuc in beneficiato permanet; ut electione ad Episcopatum, et confirmatione eius, qui beneficium habebat; acquisitione beneficii curam vel dignitatem annexam babentis; negligentia intra annum sacerdotales ordines accipiendi; criminibus simoniae manifestae; haeresis etc., tunc enim recte beneficium confertur. Denique *de facto tantum* cum aliquis jus retinet in beneficio, sed eiusdem possessionem amisit, quod locum habet spoliatione; sed beneficium spoliatò debat restitui, et non in alium conferri.

Hinc 1. ex Beneficiorum indole, et simoniæ definitione fit, ut omnia pacta, quæ collationi admiscentur, ni ex ipsa rei natura descendant, et improbentur, et nihil valeant. 2. *Expectativas gratias* a Lateranensi tertio Concilio (2) explosas, seu nondum vacantium beneficiorum concessiones, merito iterum execrata est Tridentina Synodus (3); occasionem namque præbent, ut aliena mors desideretur, aut libenter audiatur, præcludunt aditum dignioribus, præbentque litibus causam. 3. Consequitur ut non solum gratis, sed etiam sine diminutione, in perpetuum, atque intra certum tempus a iure præfinitum, subque certa forma Beneficium sit concedendum, ut canonice facta habeatur collatio.

Si libera voluntate ab ecclesiastico Superiore concedatur Beneficium, eiusmodi actus *collatio in specie* dicitur; si vero certæ personæ a Patronis, vel electoribus designatæ, *Institutio* appellatur (4).

(2) Can. 8. cuius haec sunt verba: „ *Nulla Ecclesiastica beneficia, seu ministeria, vel Ecclesiae alicui tribuantur, sive promittantur antequam vacent, ne desiderare quis proximi mortem videatur, in cuius locum, et beneficium se crediderit successurum* „. De his latius infra.

(3) *Sess.* 24. *Cap.* 19. *de Reform.*

(4) Collationis, et institutionis vocabula veteribus ignota fuere; nam collatio beneficiorum non erat distincta a collatione ordinum, et idem erat beneficium conferre, ac clericum ordinare, cum nemo ordinari consueverit, nisi addiceretur alicui Ecclesiae, e cuius reditibus aleretur, qua de re ad eum spectabat beneficii collatio, ad quem spectabat ordinatio; et idem erat jus Episcopi beneficia conferendi, ac clericos ordinandi; ex quo patet collationis nomen usurpari coepisse, cum beneficii traditio ab ordinatione seiuncta fuit.

Ordinarii Collatores Beneficiorum sunt in suis dioecesibus Episcopi quilibet (5), et quandoque etiam inferiores Prælati, aut Capitula (6): ubique autem terrarum Romanus Pontifex iuxta celeberrimum caput *licet* 2, *de Præb. in VI.*, ad quod consulendi sunt cultiores publici iuris Canonici interpretes (7).

Hinc novum ius Decretalium, Regularumque R. Cancellariæ Summo Pontifici defert collationem Beneficiorum tam per possessorum mortem, quam per eas, quæ Apostolica auctoritate fiunt promotiones in Romana Curia vacantium (8), ubicumque tandem

(5) Ordinarii vocantur illi, qui sive Episcopi, sive Abbates, sive cuiuscumque nominis Praelati jurisdictionem in certa dioecesi, seu finibus Ecclesiasticis explicant. Sed beneficiorum collationem ad solum Episcopum olim spectasse, satis colligitur ex Can. 3, et 4. Concilii Lateranensis I. ibi: „ *Secundum Apostolorum canones omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam Episcopus habeat. Nullus omnino Archidiaconus, aut Archipresbyter, aut Praepositus, vel Decanus animarum curam, vel praebendas Ecclesiae sine judicio, vel consensu Episcopi alicui tribuat* „.

(6) Ut Episcopi in Ministrorum electione securius procederent, clerum, et populum audiebant, ut praescribitur a Concilio Carthaginensi IV. *can.* 22; et cum postea Capitulum Cathedralis Ecclesiae clerum repraesentaret, et Ecclesiae senatum constitueret, videtur ipsius Capituli consilium expetendum fuisse etiam in beneficiorum collatione; et huic disciplinae consonum apparet Alexandri III. decretalis in Cap. Novit 4, *De iis, quae fiunt a Prael. fin. cons. Capit.*

(7) Vid. etiam consilium Praelatorum, quos Paulus III. delegit, ut reformationi in Conc. Trid. faciendae viam sternerent, de quo in adnotation. ad §. *Uti personales Tit.* 22 huius libri.

(8) Dicitur beneficium vacare in Curia Romana, vel apud Sedem Apostolicam, quando vacant ubi est Papa, vel in loco proximo non distante ultra duas dietas, ut ait Rebuffus *in addition, in Reg. Cancell. Reg.* 37. Quid hoc sibi velit satis explicat Wan-Espenius *I. E. U. Part.* 2. *Tit.* 23. *Cap.* 3. §. 6. hisverbis: „ *Quamvis variis modis contingere possit, ut beneficia vacent*

ipsa Curia, vel Papa degat, atque in circumiacenti regione intra quadraginta passuum milia (9). At vero extra Curiam præter Cathedralium, et maiorum Sedium quæ Pontifici Maximo competit provisionem, aut saltem confirmationem, minora etiam Beneficia ipse confert, vel per *præventionem*, vel per *mandatum de providendo*, vel per *concursum*, ut quidam vocant, vel per *affectionem*, vel per *devolutionem*.

Præventio dicitur quando Pontifex, aut alius su-

in Curia, *puta* renuntiatione, privatione, *aliisque similibus titulis*, *nihilominus quia Bonifacius VIII.* (in Cap. Praesenti 34, *de Prab. in VI.*) *exponens decretum Clementis IV. tantum loquitur de vacatione per* OBITUM, *receptum est quod sola vacatio ad mentum Clementis IV., et consequenter sola beneficia vacantia per* OBITUM *in Curia, seu loco vicino Curiae habeantur pro reservatis, reservatione clausa in Corpore juris*„. Vid. etiam Gloss. cit. cap. 34, *de Praeb. in VI.* Sed ut haec clarius innotescant, aliqua de Pontificiis reservationibus monenda sunt. Reservationis nomine intelligimus illud jus, quo R. Pontifex suae dispositioni beneficia quaedam vacatura reservat, ordinariis collatoribus simul inhibens, quominus vacatione adveniente illa conferat, poena nullitatis adiecta. Aliae sunt reservationes *generales*, quae ad omnium certi alicuius ordinis, vel certi Regni, aut Nationis beneficiorum collationes pertinent, aliae *speciales*, per quas certum aliquod beneficium Sedi Apostolicae conferendum adscribitur. Hae reservationes sive *generales*, sive *speciales* duplicis sunt generis: aliae dicuntur *clausae in Corpore juris*, aliae *extra Corpus juris*. *Iuris corpore* continetur reservatio per *obitum* in Curia, de qua supra. *Extra corpus juris* appellantur reservationes, quae reperiuntur vel in *Extravagantibus*, ut beneficia vacantia per prohibitam eorum pluralitatem, vel in *Bullis S. Pontificum*, ut quae vacant propter crimen haereseos, vel in *Regulis Cancellariae*, ut beneficia, quae absentibus Cardinalibus, in eorum titulis vacaverint. Verum reservationes, quae in Extravagantibus tum communibus, tum Joannis XXII. extant, quamvis nunc Juris Canonici corporis partem efficiant, tamen dicuntur *extra corpus juris*, quia pristinam naturam adhuc retinere videantur.

(9) Cit. Cap. Praesenti 34. *de Praeb.* in VI.

perior collator inferiores collatores in concedendo Beneficio prævenit (10). *Mandatum de providendo*, cum Pontifex Beneficium a collatore concedi iubet (11). *Concursus* vocatur cum mensibus Papæ reservatis, qui octo plerumque sunt, Beneficium vacat. Martii enim, Iunii, Septembris, ac Decembris mensibus vacantia libere conferunt, ni aliter reservata, vel affecta fuerint, Episcopi. Si vero Episcopi resideant in suis Ecclesiis, alternativa fieri potest collatio, ita tamen, ut primus anni mensis Ianua-

(10) Praeventio Pontificia differt a mandatis *de providendo*, et *reservationibus;* nam per mandata Pontifex non confert ipsa beneficia, sed mandat, ut certae personae per Ordinarios provideantur: per reservationes reservat sibi beneficia conferenda, occurrente vacatione; sed praeventione revera Pontifex confert, et propterea tantum habet locum in beneficiis vere vacantibus, Praeventiones in usu fuisse tempore Bonifacii VIII., probat Wan-Espenius *Part.* 2. *Tit.* 23. *Cap.* 7.

(11) Si haec mandata sint ad *vacatura*, dicuntur etiam *gratiae expectativae*, ex quibus impetrans beneficium expectat; horum originem ad saeculum duodecimum referunt communiter Canonistae, tenentes insuper mandata de providendo reservationibus specialibus, et has generalibus locum dedisse; et cum his mandatis Collatores Ordinarii saepe non obsequerentur, iniunctae fuerunt literae *executoriales;* qua de re hoc jus per triplex literarum genus explicabatur. Dabantur primum literae *monitoriae* preces tantum continentes; quibus si Collatores non parerent, adhibebantur *praeceptoriae;* et si neque iis obediretur mittebantur *executoriae*, et cum iis *Executor*, qui ad exequenda mandata auctoritate Apostolica, et interdum etiam per censuras urgeret. Sed mandata *de providendo*, et gratiae *expectativae* a Tridentina Synodo sublatae sunt, ut jam dictum est; quaecumque igitur gratiae *ad vacatura*, etsi factae haberentur de consensu Ordinariorum, prorsus abolitae censeri debent, ac insuper erectio *Canonicatus supernumerarii ad futuram praebendam*, ut S. Congregatio declaravit. V. Gonzales ad Regul. 8. Cancell. §. 2. *proemial. n.* 57. *et seqq.* et *num.* 67. ubi de sublatis etiam *reservationibus mentalibus;* dicebatur enim reservatio mentalis, quando Pontifex reservabat beneficium vel in specie, vel in genere per Bullam, seu Bre-

rius ad Papam pertineat (12). *Affectum* appellatur Beneficium, cum facto aliquo, veluti quadam manuum appositione Pontifex in eo conferendo se immiscuit, ut si coadiutorem Beneficiario adiungat cum futura successione, aut Beneficium in Commendam concedat, vel si prohibeat, ne electores ad electionem procedant. Per hanc siquidem affectionem fit, ut cum primum illud ipsum Beneficium in titulum sit concedendum, pro ea tantum vice a solo Pontifice concedatur (13). *Devolutio* locum ha-

ve, ut personae gratae provideret, quam non exprimebat, sed retinebat *in mente*.

(12) Hanc reservationem, quae vulgo dicitur *mensium* condidit Clemens VIII. in Regula octava Cancellariae; sed propter additionem Gregorii XV. nona evasit, quamvis semper octavam eam aliqui vocent. Continet haec duas partes: in prima reservantur Pontificis provisioni beneficia vacantia in octo mensibus; in altera vero relaxatur haec reservatio in favorem Episcoporum in suis Dioecesibus residentium, quoad *duos* menses; quadere, cum sex menses liberi Episcopis maneant, oritur gratia, quae propterea vocatur *alternativa*; huius reservationis rationem subiicit Glossa in Extravag *Execrabilis, Ioannis XXII.* § *Quae omnia, et singula*, verb. *reservamus*, ibi: *cum sollicitudo onerosa Pontificalis officii Papae imposita multis indigeat ministris ... quos remunerare tenetur, nec non illos, qui suis antecessoribus servierunt, et ad eius sedem confluant undecumque clerici indigentes, quibus paterna provisione subvenire tenetur, maxime ne in Cleri opprobrium mendicare cogantur ... justum fuit, et aequum adinvenire modum, per quem Papa possit de multis beneficiis providere, ut per eum justa fiat distributio de eisdem*.

(13) Cum *reservatio*, generaliter sumpta, sit beneficii vacaturi per superiorem ad se facta avocatio, et cum *affectionis* nomine intelligatur quaedam tacita reservatio facta per appositionem manus Pontificis in dispositione alicuius beneficii, cuius ratione ea vice nequeat Ordinarius conferre, patet in potestate adimenda Inferiori beneficium conferendi, utrasque penitus convenire. In caeteris vero longe distant. Reservatio enim indicitur per *verba expressa*, et est *continua* et *diuturna*; affectio autem fit *ipso facto*, ex quo oritur tacita reservatio, et *deficit* provisione secuta, ita

bet cum ex Ordinarii collatoris negligentia, seu quod Beneficium indigno collatum fuerit, ad Papam devolvitur eiusdem provisio.

Alias omnes reservationes nimis longum esset hic percensere. Pontificiae huiusmodi reservationes autem, vel ex initis cum Sede Apostolica Concordatis, vel ex contraria consuetudine admodum imminutae, et alicubi etiam sublatae sunt; ideoque omnia fere beneficia conferunt Episcopi.

Ex jure autem Decretalium Beneficia in R. Curia vacantia, qnæ intra mensem a die vacationis collata non fuerint, tum vacante Sede Apostolica Parochialia omnia, quantumvis Summo Pontifici reservata, Episcopus tanquam Ordinarius legitime confert (14).

Ad Collationem canonice peragendam præter legitimum collatorem, alia plura observanda sunt, ut collationis præfinitum *tempus*, ut *qualitates* præ-

ut in posterum inferior idipsum beneficium libere conferre valeat; demum reservatio locum tantum habet *in beneficiis*, et affectio *in ordinibus* etiam, et *in causis*. Affecta vero habentur beneficia pluribus modis, quorum aliquot in textu protulimus. Sed nullae subiiciuntur beneficia affectioni, si Pontifex manum apposuit non ad conferendum, sed ad alium effectum, veluti ad pensionem praestandam, vel si beneficium sit juris patronatus laici. Interpretes vide.

(14) Cap. *Statutum* 3, et Cap. *Si Apostolica* 35, *de Praeb. in VI*. Id intelligendum est non jure devolutionis, sed quia tunc cessat reservatio; ideo Glossa in dicto Cap. *Statutum*, verb. *numerandum*, ibi: *hoc statutum fuit in favorem Ecclesiarum, ne contingeret beneficia diu vacare, non autem in odium Summi Pontificis negligentis, quia tunc nonnisi a tempore scientiae curreret praescriptio.*

ficiendorum, ut ipsa conferendi *forma*, quæ modo persequimur. Tempus collationi præfinitum est sex mensium, qui currunt a die scientiæ vacationis (15): quibus elapsis collatio ad proximum superiorem devolvitur. Sed in Episcopatibus, et Abbatiis tempus collationis trium mensium spatio concluditur: quamquam si collatio in virum idoneum ceciderit, etiam post illud tolerabitur (16).

Beneficia conferri possunt catholicis omnibus, aliquibus tamen exceptis; nimirum a Beneficiis excluduntur filii hæreticorum, eisque faventium ad secundum in linea paterna gradum, in materna tantum ad primum, si parentes in hæresi decesserint (17). Præterea vinculis censurarum obstricti, abnormes, seu irregulares, coniugati, simoniaci, cæci, et qui legitima ætate carent, nempe minores annis quatuordecim, si agatur de simplicibus (18); si vero de Beneficiis, quæ adnexum habeant ordinem sacrum, qui eius ordinis, vel dignitatis non

(15) Cap. *Quia de Conc. praeb.*
(16) Cap. *Literas, de suppl. negl. Praelator* etc.
(17) Cap. 2. et 15. *de haeret.* in 6.
(18) Olim simplex beneficium conferri poterat post septimum aetatis annum. Ex Tridentino hodie requiritur aetas quatuordecim annorum; sufficit si sint incepti, et numerandi sunt non a die baptismi, sed nativitatis; et haec aetas necessaria est, non tantum in collatione beneficii, sed etiam tempore praesentationis. Quod si dies, vel hora desit, nulla est praesentatio, vel collatio beneficii, cum ei collatum sit, qui est inhabilis. Hoc tamen limitandum, cum adsit vel Pontificis auctoritas, qui licite etiam infanti beneficium confert, vel fundationis lex; fundatorum enim voluntati minime derogavit Synodus Tridentina.

sunt capaces, incapaces quoque sunt adiuncti Beneficii. Sed interest plurimum utrum ordo *actu* requiratur, an *habitu* tantum (19); hoc siquidem in casu recipi Beneficium potest: nec ab eo quis cadit, nisi ultra annum ordinem negligenter distulerit.

Postremo ad formam quod spectat, Collatio scriptis mandanda est (20); aliter dicitur *Gratia in for-*

(19) Nulla ab antiquis canonibus certa aetas beneficiis acquirendis praescripta; sed aetas, de qua illi loquuntur, ad ordinandos tantummodo est referenda. Nullius enim aetatis constituendae in beneficiorum collatione aderat necessitas, cum beneficiis aetas illa requireretur, quae ipsis ordinibus erat praefixa. Sed cum circa saeculum nonum, et decimum, ab ordinibus beneficiorum collatio separari coepisset, quod supra jam diximus, abusus invaluit beneficia iis concedendi, qui nec ordinibus quidem essent initiati, et temporalibus contenti bonis, ordines ipsos reiicerent. Ut his malis occurrerent, soliciti Pontifices, et Concilia decreverunt ne beneficiis providerentur, nisi *actu* ordine requisito insigniti. Hinc discrimen inter ordinem beneficio annexum *actu*, et *habitu* vel *potentia*. Attenta igitur moderna disciplina, ordo censetur beneficio annexus *actu*, si idem ordo requiratur tempore collationis, seu provisionis beneficii; *habitu* vero. vel potentia, quando tantum requiritur, ut quis tempore collationis in ea sit aetate constitutus, ut infra tempus a jure praescriptum, ordinem suscipere valeat. Haec annexionis diversitas, praecipue ex fundationis verbis est dignoscenda. *Wan-Espenius I. E. U. Part.* 2. *Tit.* 19. *C.* 1. *et* 2, ubi nonnulla referuntur exempla.

(20) Beneficia jure communi solo verbo conferri possunt. Sed ex hodierna Tribunalium Ecclesiasticorum praxi, ad avertendas omnino fraudes, mos inductus est, ut collatio nec fieri, nec probari possit sine literis, quae *patentes* vocantur, quae sunt exhibendae, ut beneficii possessio acquiratur. In iis ab Episcopo expediendis plura sunt observanda: nempe ut collatio videatur facta *motuproprio*, sine ulla petitionis mentione, ut in ea perficienda publicum adhibeatur instrumentum, in quo explicari debet quo pacto benificium vacaverit; ut nomina indicentur loci Dioeceseôs, ubi beneficium est constitutum, Sancti Titularis Ecclesiae, cui beneficjum adiacet, et beneficiarii cuius obitu, vel alia quacumque causa beneficium vacaverit; ac demum quo anno, mense, et die collatio perfecta est, ut subiungatur oportet.

Id præterea præstat animadvertere, quod Parochiæ,

nem. Cum vero non exhibitum fuit Episcopi testimonium, Clericum esse idoneum, locum habent literae in *forma dignum*, (haec enim sunt priora verba: *dignum arbitramur*) quae mittuntur ad Episcopum, ut Clerico beneficium tribuatur, postquam inventus fuerit dignus, et idoneus. In *forma commissaria* autem conceduntur literae, cum Clericus Episcopi obtulit testimonium, sed multa adhuc demonstranda supersunt, ut beneficium consequatur coram designatis *Executoribus*; et hae literae non veram continent collationem, ut ait Cl. Ioannes Devoti, sed tantum *mandatum de conferendo*. Hae formae ad acquirenda pertinent beneficia; nunc illas, quibus conservantur attingere par est. Specialis provisionis forma ea est, quae *nova provisio* dicitur. *Nova provisio*, (ait Rebuffus in *Praxi Beneficior. de nov. provision. et simplic.*) *est prima Papae provisio, ad alterius jam factae ab alio confirmationem. Nova dicitur quoad Papam; quia de recenti ipse confert, quamvis collatio, praesentatio, vel electio ab aliis antea facta fuisset; sed impetrans eam provisionem dubitabat viribus non sustinere; et regulariter nova provisio non datur, nisi quis dubitet provisionem Ordinarii non sustinere viribus. Sed si semel Summus Pontifex providerit, nunquam dabitur* nova proviso, *sed* perinde valere *impetrabitur*. Nam *nova provisio* datur quando collatio facta fuit ab alio quam a Papa; nec per eam juri, vigore primae provisionis quaesito, praejudicatur, sed jus juri accumulatur; et inducta est ad supplendos defectus, qui anteriori provisione forsan intervenerunt, atque priorem provisionem confirmet, et in quantum opus est denuo revalidet. Altera forma est *perinde valere*. et *perinde etiam valere*. Rescriptum *perinde valere* datur quando Papa gratiam suam ex parte invalidam confirmat; et petitur quando quis dubitat primam Pontificis provisionem ex aliqua causa impugnari posse, ut *perinde valeat*, ac si valida fuisset tempore impetrationis. Rescriptum autem *perinde etiam valere* tunc impetratur, quando gratia a Summo Pontifice primo facta, ab ipso postea fuit revocata. Per hoc quippe rescriptum gratia revocata ad pristinum vigorem reducitur. Denique forma *rationi congruit*, sic dicta a prioribus literarum verbis. locum habet quoties qui beneficium impetravit per simplicem Pontificis signaturam, et ipso Pontifice deinde e vivis sublato, antequam literarum fieret expeditio, successor Pontifex mandat omnia expediri, declarans rationi congruere, ut quae prodierunt a suo antecessore, sortiantur effectum Per has literas non confirmatur prior gratia, vel aliquis eius defectus suppletur, sed tantum hae valent, ut gratia a praedecessore facta probari possit, et suum consequi effectum, eodem modo, ac si per praedecessorem literae expeditae fuissent. Vid. *Fleury, Institut. Iur. Canon. et Wan-Espen. I. E. U. Part. 2. Tit. 24. Cap. 1. et seqq.*

atque omnes Eccesiæ, quibus adnexa est animarum cura conferri non possunt, nisi post examen paractum coram tribus examinatoribus Sinodalibus, aut Pro-synodalibus: eaeque conferendæ sunt alicui ex illis, qui eo in examine comprobati fuerint, sive de libera Episcopi collatione agatur, sive ad alterius institutionem pertineat Beneficium: immo etiam collatio fuerit ad Sedem Apostolicam devoluta (22).

TITULUS XXI.

De Iurepatronatus Tit. 38. Lib. 3.

Iuspatronatus (1) est *ius*, sive *facultas nominandi*

(22) Trid. *Sess.* 2, *Cap.* 18, *de reformat.* De hac conferendi forma a Tridentina Synodo constituta, quae *per concursum* dicitur, multa et praeclara leguntur in Synodo Dioecesana Benedict. XIV. *Cap.* 7. *Lib.* 4, *et Lib.* 13. *Cap.* 24.

(1) Quamvis jurispatronatus nomen eo sensu quo in Decretalibus accipitur, apud antiquos auctores Canonum non reperiatur, tamen res ipsa etiam primis Ecclesiae temporibus cognita fuit. Veteres enim fundatoris, et fundationis nomine utebantur; at etiam in antiquis canonibus multa occurrunt, quae juspatronatus non nomine quidem, sed reipsa notum fuisse demonstrant eo sensu quo hodie intelligitur. Iura quaedam honorifica Ecclesiarum fundatoribus concessa fuere primis saeculis ex *virtute gratitudinis*, ut loquitur Guillelmus Parisiensis. Etenim teste S. Paulino *epistol.* 10, *et* 12, sub initium saeculi quinti nomina, et elogia fundatorum in eorum Ecclesiis solemniter inscribebantur; et antiquissimis etiam temporibus nomen mutuare Ecclesiae coeperunt a fundatoribus, ut videre est in titulis Ecclesiarum, quae nomen fundatoris praeseferunt. Qua de re inter Titulos, vel Basilicas Romanae Ecclesiae numerantur titulus Damasi, titulus Eudoxiae, Basilica Constantinopolitana, titulo ex fundatoribus sumpto; et hic solus honor Patrono videtur ab initio fuisse tributus. Sed postea alia honorifica jura accesserunt; quin imo saeculo IV, vel initio saeculi V. fundatoribus delatum est jus nominationis, seu ut

sive offerendi, ac præsentandi Clericum promovendum ad Beneficium ecclesiasticum vacans, cum onere simul, et honore coniunctum.

Est autem juspatronatus, *ecclesiasticum*, *laicale*, *et mistum*. Iuspatronatus *ecclesiasticum* est quod Ecclesiæ vel Clerico non ratione patrimonii sui competit, sed ratione clericalis dignitatis (2). *Laicale* (3) vero est, quod ex bonis laicorum fundatum

dicitur hodie praesentationis, quod colligi posse videtur ex Canone decimo Concilii Arausitani an. 441. in quo decernitur Episcopum non prohibendum in alieno territorio Ecclesiam aedificare, *servata aedificatori Episcopo hac gratia* (sunt verba canonis) *ut qnos desiderat Clericos in re sua videre, ipsos ordinet is, cuius territorium est, vel si ordinati jam sint, habere acquiescat.* Hoc jus aedificatori Episcopo datum simile prorsus esse juri hodierno praesentationis manifestum est. Saeculo VI. sub Iustiniano Imperatore Monasteriorum, et Ecclesiarum fundatoribus jus tributum fuisse designandi administratores et presbyteros patet ex *Leg. 46 Cod. de Sacros. Eccles.*, *et ex Novell.* 57. *c.* 2., ubi jubet a fundatoribus *idoneos*, in Ecclesiis quas fundaverint, nominari, et eligi presbyteros ex Episcopi Dioecesani judicio, et examine probandos. Idem etiam Imperator *Novell.* 123. *c.* 18, non tantum fundatoribus, sed etiam haeredibus permisit, ut Clericos nominent, et eligant, et idoneos nominatos ab Episcopis vult consecrari. Hoc jus statutum insuper reperimus saeculo VII. in Hispania; nam Concilium Toletanum IV., *can.* 37, decrevit ut fundator ad egestatem redactus ab Ecclesia alatur; et in can. 2. Tolentini IX. Concilii statuitur, ut fundatores *in iisdem Basilicis* (nempe a se fundatis) offerant rectores idoneos Episcopis ordinandos.

(2) Cap. un. *de Iurep.* in 6.

(3) Ius patronatus Laicale originem habuisse putat Wan Espenius, *part* 2. *Tit.* 25. *cap.* 2, ex Oratoriis, et Sacellis, quae jampridem viri nobiles in suis praediis, aut domibus ad familiae commodum extruebant; iis enim presbyteros qui sacra peragerent, praeficiebant cum Episcopi consensu, ut colligitur *ex can.* 22. Synodi Agathensis, et ex multis Conciliorum canonibus, quae saeculis VII., et VIII. celebrata fuere. Haec nominatio presbyterorum primitus ad similia Oratoria domestica, non erat proprie dicta praesentatio, qualis hodie Patronis competit: nondum enim erant erecta in beneficia. Sed temporis successu non tantum in simplicia beneficia, sed etiam in Parochiales Ecclesias mutata fuere.

est, quodque alicui, etiam Clerico non ratione Ecclesiæ competit, sed ratione patrimonii, vel familiæ, aliove civili tituto. *Mistum*, quod laici, et ecclesiastici Iurispatronatus est particeps: forte quia ex duobus patronis laicis alter ius suum transtulerit in Ecclesiam.

Est item Iuspatronatus *hæreditarium*, quod simul cum hæreditate sive legitima, sive testamentaria transit; et *Agnatitium*, sive *familiare*, quod transit ad eos, qui sunt ex familia, vel agnatione: item est *mistum* ex utroque, quod etiam vocatur ex *pacto*, et *providentia*; idque in eos transit, qui sunt hæredes simul, et successores legitimi, ut qui illud sibi asserat, oporteat se et hæredem, et descendentem a testatore probare.

Iura patroni (4) sunt igitur 1. praesentare instituendum. 2. Dignior locus ei debetur inter laicos in Ecclesia, et cum Clerus procedit solemniter in processionibus. 3. Debentur ei alimenta, si fuerit inops. 4. Ecclesiæ patronatus iuri subiectæ bona possidere potest ea tantum causa, ut caveat ne dissipentur (5).

(4) Patroni seu defensores apud Romanos proprie fuere Patres seu Patricii ex Romuli instituto; qui Patricios, Patronos Plebis, Plebeios, Patrum clientes esse constituit. Quoniam igitur Ecclesiarum fundatoribus concessum fuit ius defensionis earum, rerumque ad eas spectantium, ut constat ex Can. 1. et 2. Toletani IX. Concilii, idcirco ex hoc patrocinio nomen *patroni*, et defensoris ipsis datum est; et hodie passim iura, quae olim fundatoribus concessa fuere, *Patronis* tamquam fundatoribus data sunt, et fundatoris nomine pene oblito, nomen *Patroni* solum retentum est.

(5) Cap. *Filiis* 31. C. 16. Q. 7.

Adquiritur Iuspatronatus 1. per *fundationem* si prædium quis prebeat ad extruendam Ecclesiam (6) 2. per *construtionem*, cum quis suis sumptibus Ecclesiam ædificavit, vel dirutam restituit (7): 3. per *dotationem*, si congruam dotem sive in pecunia, sive alio modo ad illius conservationem, et ministrorum sumptus attribuerit (8). Quæ tamen adquisitiones, ut subsistant opus habent Episcopali consensu in Ecclesiæ fundationem, atque alia iam exposita: qui etiam post factum utiliter accedet (9). 4. Adquiritur *ex privilegio* S. Pontificis (10) 5. Ex

(6) Iuspatronatus per solam fundi donationem acquiri posse videtur nonnullis, inter quos recensendus Cl. Devoti, cum sine fundo aedificari non possit Ecclesia, et cum certum non sit canones qui de fundatione loquuntur, omnes ad costructionem referendos esse.

(7) Reaedificatio quidem ad construtionem pertinet. Si quis enim Ecclesiam ita dirutam, ut nova egeat consecratione in totum reaedificet juspatronatus acquirit, adhibito tamen Episcopi Dioecesani cousensu, sine quo neque a principio licet Ecclesiam construere, ut in *Can. Nemo dist.* 1 *de Consecrat.* Monet vero Fagnanus in *Cap. quoniam hoc. Tit. num.* 57. aequum esse, ut antequam Episcopus extraneo consentiat, antiquum patronum de hoc requirat, et ipsum cuilibet extraneo praeferat. Si autem Ecclesia per partes ab alio reaedificata sit, quamvis nova efficiatur, primus Ecclesiae extructor non desinit esse patronus.

(8) Plures esse possunt patroni eiusdem Ecclesiae, ex diversis titulis, nempe si unus fundavit, alter aedificavit, et tertius dotavit Ecclesiam ex *Can. Filiis Caus.* 16. *qu.* 7. ubi notant interpretes *disiunctive* fieri mentionem eius, *qui construxit*, *vel dotavit Ecclesiam*. Si autem plures distributive sumpti insufficientem praebuerint dotem, sed omnes collective Ecclesiam sufficienter dotaverint, aequaliter, et in solidum patronatnm acquirunt. Vid. Pirhing *Lib.* 3. *Tit.* 38. *Sect.* 1. §. 2. *num.* 7.

(9) Cap. *Nobis* h. T.

(10) Solus Romanus Pontifex, non autem Episcopus, vel Praelatus Pontifice inferior, concedit privilegium Iurispatronatus alicui, utpote personae de Christiana Republica benemeritae; sed tamen requiritur in eiusdem concessione, adiectio clausulae derogatoriae

multiplicatis præsentationibus tam longi temporis, quod memoriam hominum excedat iuxta ea, quæ Tridentina Synodus cavit (11).

Verum quod de præscriptione diximus obtinet quidem si contra liberam collationem agatur (12); cum vero de Iurepatronatus iam constat, et quis patronus sit tantum quæritur, præscriptio 40. annorum cum titulo saltem *colorato*, ut vocant, sufficiet.

Patroni autem esse possunt omnes catholici cuiuscumque sint sexus, vel ætatis. Tempus ad presentandum præstitutum laicis quidem patronis est qua-

decreto Concilii Tridentini, a quo sublata fuere haec privilegia, exceptis tamen patronatibus super Cathedralibus Ecclesiis competentibus, et exceptis aliis, quae ad Imperatorem, et Reges, seu Regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos Principes jura imperii in dominiis suis habentes pertinent, et quae in favorem studiorum generalium concessa sunt, ut apparet ex *Cap.* 9. *de Reform. Sess.* 25.

(11) Cit. *Cap* 9. *de Reform.Sess.* 25. Notabile est quod statuitur per textum in Cap. *Consultationibus de jure patronat.* Institutus enim ad praesentationem eius, qui tunc juspatronatus Ecclesiae possidebat, removeri non debet, licet illud jus ab eo postmodum evincatur; secus si non possidebat, sed tantum credebatur esse patronus. Ut igitur institutio ad praesentationem eius, qui patronus non est, sustineri valeat, oportet ut is qui praesentat communiter reputetur patronus, et tempore actus praesentationis sit in quasi possessione juris praesentandi; huius sanctionis rationem tradit Fagnanus in *dicto capite*; nam praesentatio, ait ille, est fructus juris patronatus; fructus autem pertinet ad bonae fidei possessorem, non ad proprietarium.

(12) Quando in Iudicio contendant Episcopus, et Patronus an beneficium sit patronatum nec ne, Episcopum, lite pendente constituere debere Oeconomum, seu administratorem firmat Glossa in *Cap. Eam te verb. Si vero contentio*; nisi tamen constaret notorie beneficium minime patronatum esse, vel in quasi possessione providendi esset Episcopus; etenim tunc libere posset instuere in beneficio.

tuor mensium, cum potestate variandi, offerendique alium (13); patronis vero Ecclesiasticis, qui iure variandi carent, præfiniuntur menses sex a die cognitæ vacationis (14). Cum vero duo sunt Patroni alter ecclesiasticus, alter laicus iura ac privilegia permiscentur.

Patronus quamvis non possit præsentare semetipsum propter turpe ambitionis exemplum; tamen ex Glossæ (15) recepta sententia proprium potest præsentare filium.

Transfertur Iuspatronatus in alios quatuor modis, nempe per successionem, per donationem, per permutationem, et per venditionem. Per *successionem*

(13) Quamvis sentiat Glossographus in *Cap. Cum autem, hoc tit.* patronum laicum posse variare etiam recedendo a primo jam praesentato, ad exemplum illius, qui plures constituit procuratores diversis temporibus, tamen communiter probant Doctores, potestatem hanc variandi intelligi debere non *privative*, sed *cumulative*, idest non reiiciendo prius praesentatum, sed illi alterum cumulando et addendo; et ratio est quia quod agitur a Patrono non est ratum, donec Episcopus admittat, ut in dicto Capite ait Fagnanus, qui insuper docet semel tantum patronum laicum posse variare, non toties quoties voluerit; cum jura de duobus successive, non de pluribus loquantur; quod vero locum non habet si prima praesentatio esset nulla; tunc enim prima aliquo modo nulla numero praesentationum computari minime posset. Vide Fagnanum *in dicto Capite per tot.*

(14) C. *Eam te* 22. C. *cum propter* 27. h. T. Cap. Un. §. *Verum eod. in 6.*

(15) Patronus se ipsum praesentare non potest, cum id avaritiae, et ambitionis signum esse videatur, ob quam causam ne potest quidem aliquis se ipsum instituere. Sed nil prohibet quominus Patronus praesentetur a Compatronis, vel Episcopus proprio motu, aut ad Patroni supplicationem eum instituat, quia hoc in casu non ingerit se, sed ab Episcopo oblatam gratiam acceptat. *Cap. Consuluit* 15. *et ibi gloss. hoc tit. Cap. final. de Institut. argument. Cap. Cum in jure* 33. *de Elect.* et late *Rot. Rom. in Recentior.*

inquam, transfertur simul cum hæreditate sive testamentaria, sive ab intestato ad hæredes in solidum, etiamsi hæreditas inæqualiter dividatur; quia Iuspatronatus utpote incorporalis res, est indivisibile. Item in eo succeditur in stirpes, non in capita: unde pluribus patronis decedentibus, quorum alter duos hæredes reliquisset, alter unum, illi duo hæredes pro unius suffragio computantur, quia unicum tantum defunctum *repræsentant* (16). At in agnatitio Iurepatronatus successio est in capita, et ad masculos generatim pertinet (17).

Per donationem autem, aut legatum transfertur consensu Episcopi in laicum, aut privatum clericum; sine consensu vero in Ecclesiam, aut Monasterium, aut in ecclesiasticam dignitatem (18).

Permutatione transfertur, dummodo pro Iurepatronatus res alia spiritualis tradatur (19).

Demum transfertur *venditione* non per se tamen, ne simonia contrahatur, sed simul cum universitate bonorum veluti hæreditate, aut corpore, cui sit annexum, puta fundo aliquo: unde *Reale* Iuspatronatus vocatur (20).

(16) Per textum in Clementina *Plures hoc. tit.* ad evitandas discordias, et ut facilius provideatur Ecclesiis, *non inconveniens* reputatur, patronos ipsos inter se posse libere convenire de rectore ab eis alternis vicibus praesentando.

(17) Cabassut. Theor. prax. I. Can. Lib. 2. C. 7. sed in his omnibus standum est in primis fundationis legibus.

(18) Cit. Cap. *Un. h. T. in. VI.*

(19) Cap. *ad quaestiones de rer. permut.*

(20) Cap. *Ex literis hoc tit. Trid. Sess. 25. cit. Cap. 9. de re-*.

Amittitur denique Iuspatronatus 1. Si patronus Ecclesiæ Rectorem, aut Clericum occidat, aut mutilet (21) 2. Si in hæresim inciderit 3. Si iura ac bona Ecclesiæ sibi usurpaverit 4. Si Iuspatronatus vendiderit separatim 5. Si illud cesserit, aut expresse, vel tacite remiserit 6. Si Ecclesia vel dotem amiserit, vel corruerit, et monitus ad eam instaurandam, hoc renuat.

TITULUS XXII.

De unione, ac divisione Bcneficiorum.

Quamvis Beneficiorum tam pluralitas (1), quam divisio a canonibus semper improbata ex Titulo, seu Rubrica: *Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur* (2); varii tamen ad eas fovendas irrepserunt abusus sub Commendæ, vel unionis ad vitam, vel pensionis pallio; quos cum penitus eradicare minime potuerit, saltem imminuere conata est Synodus Tridentina.

format.. Ius pracaentandi vero non transit in creditorem, qui in hypotecam recepit fundum cui juspatronatus inaheret, nisi id specialiter cautum sit; nam in creditorem nec directum, nec utile dominium rei oppignoratae transfertur; quin imo tenetur fructus quos percepit restituere. V. *Fagnan. in cit. Cap. Exliteris h. t.*

(21) Cap. *In quibusdam de Poenis*. Haec poena comprehendit etiam eius descendentes usque ad quartum gradum, dummodo tamen nati sint, post homicidium. Cit. Cap. *In quibusdam* §. *Sacri de poenis*.

(1) Tit. *nostr. Inst. De Praeb. etc.*

2) Decretal. *Tit. XII. Lib.* 3.

Et ad *Commendas* quod attinet, quibus ad tegendam Beneficiorum pluralitatem inprimis abusi sunt ii, qui Canonum sanctiones eludere satagebant (3),

(3) Administratio vacantis Ecclesiae antiquitus Commendae nomine appellabatur, ut ex verbis S. Ambrosii Epistola 4, colligi facile potest, in qua Sanctus Ecclesiae Doctor ait „ *Commendo tibi, filii, Ecclesiam, quae est ad forum Cornelii, donec ei ordinetur Episcopus* „ Ex Conciliis et aliis sexti saeculi monumentis apparet non modo Episcopatus, sed etiam Parochias, et Monasteria solita fuisse dari in Commendam. S. Gregorius M. Urbe vastata ab hostibus, Fundorum Episcopum constituit Tarracinensis Ecclesiae Episcopum Cardinalem, *ita ut*, ait Pontifex, *Fundensis Ecclesiae Episcopus esse non desinas, nec curam, gubernationemque eius praetereas.* Patet igitur Gothis, Longobardis, atque postea Saracenis vastantibus Italiam accidisse frequenter, ut Episcopi a Sedibus eiicierentur, et his a R. Pontificibus in perpetuam Commendam traditas vacantes Ecclesias, vel Abbatias, ut inde viverent, et Episcopalia jura exercerent. Sed nono vertente saeculo invaluit usus, ut Laicis, ac etiam militibus Monasteria, et beneficia profunderentur. Opera vero R. Pontificum Commendae Laicales abolitae sunt, quamvis adhuc tamen consueverint Episcopi aliquando plures sibi commendatas Ecclesias retinere. Cum autem illis temporibus Monachi, et Canonici vitae Monasticae, et communis obliti viverent ex Laicorum consuetudine, et Laicis essent offensioni gravissimae, factum est ut Commendas elargiendi alia causa fuerit inventa, nempe Monasticam disciplinam reformandi in Monachorum, vel Canonicorum Regularium Monasteriis quamplurimis. Multa mala ex Commendis fluere, quae Clemens V. *Extrav. Ex supernae* 2. *de Praebendis etc. inter Commun.* enumerat. Tanto malo nihilominus mederi non potuit hac Constitutione, sed altiores etiam radices egit. Tridentina Synodus tandem ea statuit, quae supra dicta sunt. Commendatarii igitur tamquam veri beneficiarii 1. libere proventus administrare possunt; 2. Ad ordines dimissorias concedunt tamquam Ordinarii Monasteriorum Superiores; 3. praesentant, conferunt, atque eligunt ad beneficia; 4. in Italia, alibique, ubi Commendis est adnexa cura animarum, coguntur ad sacros ordines suscipiendos, et ad residentiam; 5. Commenda cum alio beneficio permutari non potest, non aliter ac verum beneficium; 6. Commendis aeque ac beneficiis imponuntur etiam pensiones. Nihil igitur re ipsa fere interesse inter Commendam, et Titulum sive beneficium manifestum est. Etiam hodierno jure nonnisi a R. Pontifice *dispensative*, ut aiunt, dantur Commendae, et dispensatoria, atque extraordinaria dicitur per Commendam provisio; Episcopis vero Commendata beneficia conferre non licet.

eadem Synodus cavit, ne ulla in posterum Beneficia Regularia in Commendas concedi possent; in iis autem Monasteriis, quæ iam commendata fuerant, ut Claustrales superiores monasticas professi regulas ibi vigentes eligerentur, atque omnes Commendatarii satisfaciendis Beneficiorum sibi commendatorum oneribus, sacrarum ædium reparationi, optimoque ipsarum regimini, et conservationi diligenter attenderent (4).

Uniones item Beneficiorum ad vitam, seu personales eadem S. Synodus tam in Titulum, quam in Commendam, quoad omnes indiscriminatim ita sustulit, ut unius tantum Beneficii assecutionem probaverit, dum illud ad vitam pro personæ dignitate transigendam sufficiat (5). *Unio* autem dicitur duarum, aut plurium præbendarum, vel Ecclesiarum coniunctio. Hæc si non ad vitam, vel per certum tempus, aut in favorem alicuius personæ fiat (unde *personalis* vocatur), sed *realis* sit, habitave tantum earumdem Ecclesiarum ratione in perpetuum, seu per indefinitum tempus duratura permittitur. At iusta esse debet uniendi causa, huiusmodi est Ecclesiæ necessitas, vel utilitas (6). Oportet etiam, ut

(4) *Ses. 24. Cap. 10. de Ref. et ses. 21. C. 8., et ses. 25. de Regular. Cap. 21.*

(5) Trid. *Sess. 24. Cap. 17. de reform.* Fagnan. in Cap. *Exposuisti de praebend.* num. 7. ibi. *Unio ad vitam non est proprie unio, sed magis quaedam palliata dispensatio.*

(6) Plures aedes sacras, vel beneficia coniungere, et in unum quasi corpus compingere *odiosum* esse, unanimis Canonistarum

legitimi accedat Superioris auctoritas, scilicet Papæ si de maioribus agatur Beneficiis, puta Episcopatibus etc.: si de minoribus autem, Episcopi. Hic tamen nec propriæ Mensæ adiungere Beneficia, nec diversorum ordinum aut diversarum professionum, vel Dioecesium Ecclesias simul unire potest (7). Præterea solemnitates ab Iure, vel consuetudine præscriptæ servandæ sunt, id est causas unionis diligenti examine oportet discutere, et citare omnes, quorum interest, veluti patronos, Beneficiarios, aliosque eiusmodi (8).

Tripliciter autem unio fieri solet per Accessionem scilicet, Confusionem, et Coniunctionem: unde vel *Subiectiva*, *Confusiva*, vel *æque principalis* a Doctoribus appellatur.

Accessio est cum una Ecclesia ita subiicitur alte-

sententia est; nam per uniones beneficiorum minuitur Ministrorum numerus, alienatio quaedam efficitur, et beneficium vel quodammodo supprimitur, vel ita alteratur, ut primaevam naturam amittat; ideo Ecclesiarum uniones, non nisi *legitima causa*, et *auctoritate* simul concurrentibus faciendae sunt, ac his deficientibus, nullius roboris evadunt. *Cit. Cap. Exposuisti de praebendis* etc. Iustae causae esse possunt *ex necessitate*, si duae, vel plures Ecclesiae adeo pauperes sint, ut earum proventus ad duorum vel plurium Sacerdotum alimentum sufficere minime possint, et coniunctae Pastori congruos reditus tribuant. Ex *utilitate* vero, cum imminuto fidelium numero, Ecclesiarum propinquitas ea sit, ut unus Sacerdos omnibus commode praeesse possit, vel cum commodius, et utilius per unum, quam per plures Pastores pluribus Ecclesiis servitium praestetur. *Clementin. Ne in agro* §. *Ad haec de stat. Monach.*

(7) Clem. 2. *de Reb. Eccl. non alien.* Trid. *ses.* 14. *de Ref. Cap.* 9. *et Cap.* 13. *ses.* 24. *de Ref.*

(8) V. Regulam Cancell. Rom. XXII. *de unionib.* Trid. loc. cit: *et ses.* 21. *Cap.* 5. *ses.* 23. C. 18. et *ses.* 25. C. 9. *de Ref.*

ri, ut altera manente, nomen et dignitas Ecclesiæ subiectæ prorsus extinguatur; quo casu ea, cuius nomen extinguitur, in alterius dignitatem, naturam, iura, et privilegia transit, ut *filia illius*. *Unio* per *confusionem* dicitur cum ex duobus Beneficiis unum coalescit, quo casu non modo sua quæque Ecclesia iura, et privilegia retinet, sed altera alterius optima quæque nanciscitur. Denique fit *Coniunctio* vel *æque principalis unio*, dum non modo sua cuique Ecclesiæ iura manent, sed etiam dignitates inter se separantur, unus tamen idemque utrique præficitur, adeo ut retentis cæteris propriis cuiusque iuribus, in Præsulis tantum persona coniungantur: atque ita plerumque fiunt Episcopalium Ecclesiarum uniones, uti nos exemplum habemus in Prati, ac Pistorii Ecclesiis, aliisque (9).

Quæ de Beneficiorum unione canonice perficienda hucusque adnotavimus, eadem fere omnia et illorum *divisioni* proprie dictæ, unius nempe ipsorum in duas pluresve partes sectioni, ut rite fiat, applicari debent (10).

Uti personales quædam Beneficiorum divisiones

(9) Vid. Fagnan. aliosque DD. in Cap. *Novit ne Sede vacante* etc.

(10) Sicuti Ecclesiarum vel beneficiorum uniones odiosae, ita divisiones favorabiles in jure nostro reputantur; quamobrem legitimis cessantibus causis, ex quibus uniones concessae fuerunt, statim expirant. Can. *Ita nos ultim. Caus.* 25. *qu.* 2. *et ibi Gratianus* §. *Sed obiicitur.* Vid. etiam Tit. *Ut eccles. benefic. sine dimin. etc.* per tot.

haberi possunt pensiones(11). Est enim pensio *Ius percipiendi ex alieno Beneficio modicam portionem fructuum legitima auctoritate, iustaque de causa inductum, atque Clerico concessum.*

Itaque ut ii, qui ex nimia pensionum frequentia nascebantur abusus minuerentur, Tridentini Patres decrevere, illa tantum Beneficia pensionibus subiici posse, quae si cathedralia essent, *mille*, si parochialia *centum* ducatorum annuum reditum excederent. Apud nos vero ex M. E. Ducis *Petri Leopoldi*

(11) *Pensio* idem est ac *solutio*; etenim olim non numeratione, sed pondere solutio fiebat. Antiquissima quidem est pensionum Ecclesiasticarum origo. Concilia enim Oecumenica Ephesinum, et Chalcedonense, S. Gregorius Magnus, aliique Saeculi VII. et VIII. Scriptores earum praebent exempla. Assignabantur autem illae alendae pacis, et concordiae causa, vel ut Episcopi senio confecti, aut e sede pulsi, vel Clerici ad agendam poenitentiam in Monasterium coniecti haberent unde vitam traherent. Sed oportebat, ut Pontificis vel Synodi accederet auctoritas; et beneficiis nondum inductis, ex communi Ecclesiae aerario subministrabantur. Postea vero res a pristina institutione descivit, et plures irrepserunt abusus; hinc vetita beneficiorum pluralitas pensionum pallio tecta; unius Praebendae tituli contra canonum mentem divisio; hinc titulati egestas ob portiones beneficio substractas, et eorum qui otio torpebant, criminosae divitiae; hinc beneficiorum favorabilis resignatio, dum fructus, nulla justa accedente causa retinerentur. Tot malis ex pensionum largitate confluentibus occurrere conati sunt novem doctissimi, et integerrimi viri in Consilio, quod communiter vocatur *delectorum Praelatorum* sub Paulo III., qui, in responsione ad eumdem Pontificem, pensionum naturam et rectum usum demonstrarunt, praesertim his verbis: *qua in re est animadvertendum, nulla alia de causa, nulloque alio jure pensiones constitui posse, nisi ut quasdam eleemosynas, quae in pios usus, et indigentibus concedi debent.* Clare ex his patet, hanc pensionis descriptionem pristinae Ecclesiae disciplinae penitus inhaerere. In Concilio autem Tridentino, de pensionum usu prorsus abolendo actum est, et quamvis Tridentini Patres ad pensiones tollendas non devenissent, eas tamen statis finibus includere decreverunt.

cum *Pio VI.* P. M. concordato an. 1775, Cathedrales quævis et Parochiales Ecclesiæ a pensionibus liberatæ sunt, si Pisanam, et Aretinam demas; quibus pensiones quidem imponi possunt, æque ac cæteris non curatis Beneficiis: at eæ tertiam fructuum annualium partem, certis perpetuisque oneribus antea detractis, non debent excedere.

Super Beneficio conferendo pensionem imponere potest quibusdam in casibus etiam Episcopus (12); quamvis illius transferendæ, atque ultra pensionarii vitam perpetuandæ facultas sit solius R. Pontificis; quod potiori iure de pensionis redemptione dicendum.

Sed conferri pensio nequit nisi prima saltem tonsura initiatis, et pensionem comitatur, ex Constitutione Pii V. *Ex proximo* 135. obligatio recitandi quotidie officium SS. Virginis.

TITULUS XXIII.

De Clericis non residentibus in Ecclesia vel præbenda. Tit. 4. L. 3.

Antequam distinctio inveniretur inter simplicia Beneficia, et curata seu duplicia, Clerici omnes

(12) *C. Nisi de praeb.*

ministerio quique suo, veluti milites in castris adeo adscribebantur, ut illhinc abire nefarium haberetur: eaque *assiduitas in munere cuiusque suo Residentia nuncupatur* (1).

Quo iure Episcopi, cæterique animarum rectores residentiam obstringantur sæpius quidem disceptatum est in Tridentina Synodo, sed non definitum. Communior tamen teste Benedicto XIV. (2), et Tridentinorum Patrum menti conformior sententia est, quæ hanc obligationem a Iure divino repetit.

Ac primo axiomatis loco sit, ab iisdem Tridentinis Patribus omnes *antiquos canones* contra non residentes fuisse innovatos (3).

Cavit insuper eadem S. Synodus, ut maiores Præsules, et Episcopi, qui sine iustis causis sex menses ab Ecclesiis suis abfuerint, quarta parte fructuum unius anni fabricæ sacræ, aut pauperibus applicandorum *ipso iure* careant, et alia quarta, simili ratione, post sex aliorum mensium moram. Quod si pertinacius abfuerint, Suffraganeus quidem a Metropolitano, hic vero a Suffraganeo antiquiori sub in-

(1) De jure communi beneficia etiam simplicia obligant ad personalem residentiam, Quodlibet enim beneficium datur propter officium Spirituale Ecclesiae praestandum; nemo autem potest per substitutum inservire; nisi hoç ei sit specialiter concessum. Tamen consuetudo contraria obtinuit, ut in simplicibus beneficiis residentia non requiratur; quae consuetudo potuit ubique derogare obligationi residentiae in simplicibus beneficiis; cum haec non ab jure divino, sed tantum a Canonico positivo proveniat.

(2) *Lib. 7. de Syn. Dioec.*

(3) *Sess. 6. Cap. I. de Reform.*

terdicti poena ab ingressu Ecclesiæ intra tres menses denunciabitur Summo Pontifici, cuius arbitrio punietur. Qua de re severius cavit idem Concilium decreto (4), quo declaravit Antistites etiam Cardinales adeo incumbere debere suis Ecclesiis, ut inde abscedere eis non liceat, nisi iustis ex causis, quæ sunt christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas; et quidem a superioribus, aut a Summo Pontifice approbandæ. Sine causis vero ita probatis non ultra duos, aut ad summum tres menses abesse licet singulis annis, ex æqua tamen causa cuiusque conscientiæ relicta: cavendumque ne absentia incidat in festos dies Ecclesiæ solemniores, vel in Adventum, et Quadragesimam: si secus fecerint carebunt fructibus absentiæ tempore, iique in fabricam, aut pauperum levamen convertentur.

Eadem quod ad gravem culpam, amissionem fructuum, et poenas sub Paulo III. sancitas contra non residentes in curatis Beneficiis decreta sunt: nec talis obligatio eis remitti potest, nisi ex iustis causis Episcopo probandis, qui absentium loco alios regimini deputet. Sed petita licentia non est ab Episcopo *ultra bimestre* concedenda, nisi ex gravi causa, eaque danda semper in scriptis, et gratis. Contra contumaces vero etiam per edictum citatos,

(4) Ses. 23. *C.* 1. *de Ref.*

per censuras, sequestrationem, et subtractionem fructuum, ac demum Beneficii privationem procedere potest Episcopus (5).

Demum contra non residentes præbendatos in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis primo anno dimidiæ partis, secundo, et tertio omnium fructuum ipsius Beneficii privatio decernitur. Tandem contumax, præmissa monitione, Beneficio recte privabitur. Tres tamen vacationis menses quotannis præbendato conceduntur, salvis constitutionibus longius servitium requirentibus.

Causæ ex quibus obligatio residentiæ remittitur hæc sunt: 1. Causa studiorum in celebri aliqua Universitate (6), quæ causa post Tridentinum Concilium Parochis non congruit. 2. Causa sunt negotia eius Ecclesiæ, cui quis adscribitur (7). 3. Servitium

(5) Parochi sine licentia Episcopi abesse non possunt quidem per hebdomadam, nec licentia tacita sufficit. Et quamvis causa non residendi sit evidens, hoc non sufficit ad poenas evadendas si Episcopus non consulatur, vel si consultus neget. Tunc enim fieri potest recursus ad superiorem, et legitima Tribunalia. Quod si ex improviso discedere necesse sit, tunc post discessum scribendum est ad Ordinarium: haec omnia constant ex Decretis Sacrae Congregationis. Pro Parochis tamen ruralibus licentia sufficit Vicarii foranei, si per modicum tempus absit Parochus. Semper autem necessarium est, ut Vicarius idoneus relinquatur ab Ordinario approbandus, ne animarum salus detrimentum patiatur: Si autem abeundum sit duobus, vel tribus diebus non festivis, communiter Canonistae docent, morem singularium Dioecesium tenendum esse. Vid. Benedict. XIV. *Instit Eccles.* 17. §. 4. 5.

(6) Cap. Super *ult. de Magist.* Cap. relatum 4. *hoc. tit.* Cap. Cum de 2. *de privil. in VI.*

(7) Cap. *Ex parte* h. T.

Summi Pontificis, vel proprii Episcopi (8). 4. Periculum aliquod lethale sive morbi, sive violentiæ (9).

Quamvis autem iusta absentia non auferat absentibus fructus maiores; aufert tamen *distributiones quotidianas* sive portiones exiliores distinctas a præbendis. Quæ distributiones assignantur in dies iis, qui Ecclesias colunt, divinis officiis perfungendis, et solemnibus recitandis. Quæ distributiones, si aut nullæ sint in Cathedralibus, et Collegiatis, aut sint nimis tenues, possunt Episcopi ex tertia parte præbendarum, et quorumcumque proventuum easdem præsentibus dividendas constituere, exclusis absentibus, qualibet collusione, aut remissione remota (10).

Non tamen denegentur Poenitentiario dum excipit fidelium confessionem, aut Theologo iis diebus, quibus in Ecclesia S. Scripturam explicat. Sed ne Clerico quidem ægrotanti eripiendæ sunt, aut ei, quem evidens necessitas, vel Ecclesiæ utilitas excuset, aut senium; si modo hi Ecclesiæ cum valerent, inservire fideliter consueverint (11).

(8) Cap. *Dilectus* 14. eod.
(9) Cap. *Ad audientiam* eod.
(10) Trid. *Ses.* 21. C. 3., *et ses.* 22. C. 3. *de Ref.*
(11) Cap. 1. *de Cler. aegrot.* Ex evidenti Ecclesiae utilitate absentem acquirere distributiones declarat Bonifacius VIII. in Cap. *unic. de Cleric. non resid. in VI.* Qua de re Sacra Congregatio saepe censuit absentes a choro causa negotiorum Ecclesiae suae, vel Capituli, distributiones percipere posse. Si quis autem habeat curam animarum in ea Ecclesia, in qua est Canonicus, distributiones obtinet quotidianas toto eo tempore, quo versatur in exercitio

TITULUS XXIV.

De Translatione Tit. 7. Lib. 3. *Renunciatione* Tit. 9. eod. *Permutatione* Tit. 19. eod.

Ad rem beneficiariam, in qua versamur præterea pertinent *Translatio, Renunciatio, ac Permutatio*.

Translatio est *alicuius Clerici transitus ab unius Ecclesiæ, vel Beneficii regimine ad regimen alterius.* Atque ut ea legitime fiat opus est auctoritate Superioris, nempe iure Decretalium Summi Pontificis, si Episcopus, aliusve maior Præsul (1), vel exemptus sit transferendus; Episcopi vero, si de minorum clericorum translatione sermo fuerit, ac iusta causa, quæ si urgens, et publica fuerit, inviti etiam, nec non de pari ad parem, vel e maiori ad minorem dignitatem, præbendamve transferri poterunt (2).

eorum, quae ad salutem animarum spectant. Notandum insuper est caecum potiri distributionibus, ut declaravit Sacra Congregatio, etiam si eam Officii partem, quam tenet memoria in choro non recitet; has vero distributiones caeco deberi ex ea die qua lumine captus est, et non solum ex ea, qua se admitti ut praesentem postulavit. Demum quando pestis grassatur, de qua re judicium pertinet ad Episcopum, Canonici qui ab Urbe discedunt, vel Oppido distributiones lucrantur, ut etiam ii, qui cum soliti essent choro interesse iniustis coacti vexationibus, se e loco subducunt; vel iniuste in Carceribus detinentur. Benedict. XIV. *Instit. Ecclesiast.* 107.

(1) Celebratur Cap. *Inter corporalia* 2. *de Transl.* sed in huiusmodi Constitutionibus distinguenda est a caeteris ea constitutionis pars, in qua quidpiam disponitur, vel iubetur.

(2) C. 6. *de aet., qualit. etc. praeficiendor.*

Adeo autem pendet a Summi Pontificis potestate translatio, ut si absque illius auctoritate quis Præsul mutet Ecclesiam, non novam modo, sed et veterem, quam regebat, amittat: (3) et si consenserit Pontifex, ut Episcopus transferatur ad Ecclesiam maiorem, non possit transferri ad minorem; vacatque prior Ecclesia statim atque adprobante Pontifice quis Episcopus translationi consenserit. Stricti namque iuris, et invisa sacris Canonibus (4), translatio est, ut acta in Formosum (5) Pontificem satis superque declarant, reprobrata illa quidem in Romano Concilio sub Ioanne VIII. vel IX. an. 904., quod tamen cavit, ne quod necessitas semel suasscrat traheretur ad exemplum, Sardicensis Canonis

(3) C. 1., et 3. *de Transl. Episc.*

(4) Nicaenum Concilium generale primum prohibuit ne Episcopi, Presbyteri, et Diaconi ab Ecclesiis ad quas fuerunt ordinati, ad aliarum Ecclesiarum ministerium transirent, et in Concilio primo Arelatensi can. 22. vetantur Presbyteri, et Diaconi in alias transgredi Ecclesias. Translatio Episcoporum inhibetur etiam Concilii Sardicensis canone primo, et Carthaginensis III. can. 38; attamen etiam antiquis temporibus exempla occurrunt translationum Episcoporum. Sanctus Gregorius Nazianzenus primum Nazianzenam rexit Ecclesiam, et factus est deinde Sasimorum Episcopus, et postremo ab Oecumenica secunda Synodo Episcopus Constantinopolitanus ipso acceptante fuit electus. Ipsi Nicaeni Patres Eustathium Beraeae Episcopum ad Antiochenam Ecclesiam transtulerunt; et vir Sanctissimus Germanus, teste Cedreno, a Metropoli Cyzicena ad Constantinopolitanam transiit. Possunt igitur esse translationum legitimae causae necessitatis, vel utilitatis Ecclesiae, atque aliunde profectae, quam ab ambitione, et avaritia.

(5) Romana Ecclesia per IX. saecula nullum translationis tulit exemplum: primum est proditum in Papa Formoso, qui Episcopus fuerat Portuensis.

poenam commemorans: qui etiam in Gregorii IX. Decretalibus tantisper interpolatus habetur (6).

Renunciatio est iuris, quod quis habet in Beneficio voluntaria, et canonice facta dimissio. Ergo a vi, gravi metu, atque errore libera esse Renunciatio debet, tum iustis fieri de causis, ac superiorem iudicem plerumque postulat, non exigit tamen. Ex quo fit, ut vel Pontificatum maximum recte dimiserit S. Coelestinus V., quidquid disputatum contra esset a Doctoribus, quos compescuit in *Cap.* I. *de Renunc.* in VI. Bonifacius octavus eiusdem Successor.

Duplex est autem Renunciatio, *tacita* nimirum, quæ a iure ipso inducitur, et facto aliquo, ut si quis aut nuptias contrahat, aut Beneficium suscipiat priori repugnans, aut Monachismum profiteatur etc.; quia nuptiæ cum Beneficio, neque duo incompatibilia Beneficia in eamdem personam cadere possunt, et Monachorum propria vita longe abest a Clericorum muneribus, si primoevam illorum originem inspicias. *Expressa* est quæ fit verbis dimittendi Beneficii animum declarantibus: quæ item vel *pura* est, sive conditione vacans, et hæc fieri potest coram Ordinario quovis Beneficii Collatore, vel *conditionalis*, quæ R. Pontificis auctoritatem requirit (7), ut si quis velit retinere aliquid ex

(6) Cap. 2. *de Elect.* etc.
(7) Const. 58. S. Pii V.

Beneficio dimisso, vel sic dimittit, ut alicui a se demonstrato conferatur (quæ in specie *Resignatio* dicitur in *favorem*) aut si dimittens caverit, ut mortuo eo, in quem Beneficium destinat, ipse possit ad illud redire.

Non licet autem dimittere Beneficia maiora nempe maiores dignitates, neque Abbatias exemptas sine permissu Pontificis, qui ob causas assentitur ab Innocentio III. in Cap. *Nisi* 10. *de renunciatione* explicatas, et sunt; 1, debilitas corporis, seu impotentia ad suum exequendum officium; 2, ignorantia; 3, mala conscientia criminis impedientis executionem officii, ut simonia; 4, irregularitas personae in qua dispensari non solet, uti ex homicidio voluntario; 5, malitia plebis, cuius emendatio sperari non potest; 6, demum grave scandalum, quod Christifideles ex actis, et praesentia Episcopi patiuntur.

Minora vero Beneficia curata recte dimittentur coram Episcopo, dum ne dimittantur intra triennium a capta illorum possessione, ac dummodo accedat aliqua ex causis, quæ in S. Pii V. Constitutione præscribuntur, quæ incipit *Quanta*: quæ similes sunt fere superioribus.

Nulla porro *resignatio* valebit si resignans sive validus, sive infirmus ante diem vigesimum a facta resignatione decesserit; quod ex Regula XIX. Cancellariæ, quam de *Viginti* vocant, proficiscitur. Eadem etiam de *infirmis resignantibus* dicebatur; ve-

rum ita ut diximus declaratam esse a Clemente VII. eam Regulam Anacletus, et Ioannes Devoti testantur; quæ sane declaratio magis favet iuribus Episcoporum, sacrisque Canonibus congruit (8). Neque si de Beneficio iurispatronatus agatur sine patroni consensu *Resignatio* subsistit.

Præterea inutilis est *Resignatio* beneficiorum litigiosorum propter vetitam rei litigiosæ in alium tranlationem pendente iudicio: nec non Beneficiorum unitorum antequam unio effectum consequatur (9); item Beneficiorum in commendam datorum donec tradantur in titulum, ne illorum vacatio differatur.

Inutilis est etiam Resignatio in alterius fraudem intenta. Denique nulla Beneficiorum Episcopatu minorum *Renunciatio* subsistet, nisi ex præscripto Constitutionis Gregorii XIII. publicetur, quæ incipit: *Humano vix iudicio* (10).

(8) Anacl. h. T. §. 3. Tom. 1.
(9) Trid *ses.* 23. C. 18. *de Ref.*
(10) Ad evitandas fraudes, et ne resignans occulta adhuc resignatione possit denuo se intrudere in resignati beneficii possessionem, statuit in superius citata Bulla Gregorius XIII., ut resignationes quorumcumque beneficiorum factae a quibuscumque personis cuiuscumque status, et conditionis publicentur per ipsos resignatarios, si beneficium sit Parochiale in Ecclesia beneficii, et in Cathedrali: si autem tale non sit, in Ecclesia Parochiali, intra cuius limites beneficium existit, et in Cathedrali in diebus festis, et inter Missarum solemnia. In beneficiis Consistorialiis tamen, non requiritur haec publicatio; cessat enim periculum fraudis, cum praesente Pontifice conferantur. Alia beneficia non Consistorialia, si resignata fuerint in Curia, et citra montes, debent publicari intra sex menses a die supplicationis datae, et resignatae computandos; si ultra montes, intra novem menses. Si autem beneficia fue-

Renunciamus etiam per procuratorem sive clericum, sive laicum, dum facultas renunciandi cum certi Beneficii demonstratione, mandato scriptis tradito, contineatur (11).

Ubi autem Renunciatio a Superiore fuerit admissa, non est amplius poenitentiæ locus; quamvis ad renunciatum Beneficium liceat ex nova causa, novaque impetratione redire (12).

Episcopi *loco* tantum renunciare dicuntur, si Episcopalia iura non absolute, sed habita solum alicuius *loci* vel dioeceseos ratione dimittant. Quod si ea nullatenus retinere aut exercere velint, ac nomen ipsum et potestatem Episcopalem reiiciant, *loco et dignitati* renunciant; cumque primo casu ea, quæ Ordinis sunt, permittente loci Ordinario, licite peragant; secundo tamen non nisi minores Ordines conferre possunt (13).

Quibus autem conferre nequeant Ordinarii renunciata in eorum manibus Beneficia, expenditur latius a Bened. XIV. Lib. 13. C. 23, de Synodo Dioecesana (14).

rint resignata extra Curiam coram Praelato inferiore Summo Pontifice, debent ab illo resignationes admitti, vel reiici intra mensem, et a provisis intra tres menses publicari, et intra eosdem debent etiam beneficiorum capere possessionem, aliter ipso jure vacat beneficium.

(11) Clem. unica *de Renunc.*

(12) Cap *Cum inter* h. T.

(13) Vide Caput Requisivit 1. *de ordinatis ab Episc. qui renunciavit Episcopatui.*

(14) Episcopus resignatum beneficium conferre non potest con-

Minora Beneficia etiam Episcopi, cuius in ditione sita sunt, auctoritate permutantur; adeo ut si sub diversis diœcesibus sint, cuiusque diœceseos Episcopi consensus exigatur. Est autem *Permutatio* mutua Beneficiorum dimissio, sive *Resignatio*, ut alter alterius dimittentis Beneficium consequatur. Unde si alius resignare nolit, alter qui ante resignavit, ne sua simplicitate capiatur, possit ad resignatum Beneficium redire (15): ac si neglecto Episcopi consensu, aliqui permutent, Beneficia per sententiam iudicis amittent (16).

Antequam autem permutationem Episcopus permittat (17), cognoscere debet causas, propter quas petitur, et exigere consensum eorum, qui ius ha-

sanguineis vel familiaribus resignantis, vel suis, vel illi cuius gratia facta est commendatio, preces, et alia signa, ut esset resignantis successor sub poena excommunicationis latae sententiae Pontifici reservatae in Bulla S. Pii V. *Quanta an.* 1568, 1. *April.* Imo ex Decreto Congregationis Concilii approbato a Gregorio XIII. neque id potest, licet beneficium resignatum conferendum esset per concursum, ad quem ne admitti quidem debent. Secus si beneficium vacaret per obitum, ex declaratione Sixti V. Haec tamen prohibitio locum non habet in permutationibus, quas Pius admittere permittit Episcopo, dummodo sint sacris Canonibus consonae, nec mala fide, et fraudulenter coram ipso fiant, idest in commodum potius permutantium, quam in Ecclesiae utilitatem, vel necessitatem, et ne locum quidem habet in resignationibus beneficiorum juris Patronatus.

(15) Cap. *Cum universorum* de rerum permut.

(16) Cap. *Cum olim* eod.

(17) Permutatio beneficiorum fieri potest coram Episcopis, vel aliis per consuetudinem legitime praescriptam, vel alio jure speciali, habentibus jus beneficia conferendi. Quare Vicarius Generalis Episcopi absque ejus speciali mandato, id facere nequit; neque Capitulum Cathedrale, Sede Episcopali vacante, quia nequit beneficia conferre; qui autem nequit conferre, nequit etiam permutationes admittere.

bent vel conferendi, vel nominandi ad Beneficia, de quibus agitur: itemque cavere, ut in Ecclesiis permutatio iuxta Gregorianam supra laudatam Constitutionem publicetur.

Dum autem spirituale cum temporali non commutetur, omnia Beneficia licebit inter se permutare, etiamsi Curatum cum simplici permutetur.

Excipiuntur Beneficia unita, hoc est, quæ cumulata inveniuntur aliis Ecclesiis in tempus futuræ vacationis, ne fraus fiat iisdem Ecclesiis, in quarum incrementum ea unio cedit. Item Beneficia Summo Pontifici reservata, quorum permutatio sine illius consensu non permittitur: et tandem Beneficia litigiosa ex causa, quam superius adduximus.

Extant et alii modi, quibus Beneficia, vel ius ad eorum possessionem amittitur, veluti præter Beneficiarii mortem sunt *Devolutio*, quæ tamen non est confundenda cum iure devolutionis ob negligentiam collatorum, de quo iam diximus: hæc enim eo tantum spectat, ut Ecclesia ab indigno possessore liberetur, sive is talis fuerit ab initio, sive talis evaserit (18). deinde *Depositio*, et *Degradatio*, aliique modi, de quibus a nobis alibi opportune peragitur.

(18) Vid. Claud. Fleury *Instit. Iur. Eccl. Part.* 2. *Cap.* 20 §. 5.

TITULUS XXV.

De temporalibus Ecclesiæ bonis.

Iam vero de temporalibus Ecclesiæ (1) bonis dicendum superest, quæ patrimonia quidem pauperum sunt, et pretia peccatorum, eorumque administratio ad id præcipue clericis tribuitur, ut ea egentibus iuxta varias cuiuscumque conditiones dispensent; æquum tamen est, omnique iuri consonum, perpetuoque usu firmatum, ut comparentur ea, quæ cultui divino externo sunt necessaria, et ipsi Clerici, qui altari serviunt, moderata bonorum eorumdem parte ad vitæ subsidia utantur (2). De temporalibus Ecclesiæ bonis dum agitur, habenda præ oculis perpetuo sunt quæ in Prolegomenis de Sacerdotii, et Imperii concordia adnotavimus.

Huiusmodi autem sunt Decimæ, Oblationes, Census, Procuratio, Synodaticum, Canonica portio, Distributiones. De distributionibus iam dictum est,

(1) Saeculo XIV. Marsilius Patavinus, Wicleffus, aliique haeretici affirmare ausi sunt, Ecclesiam possessiones habere non posse, et contra Scripturam Sanctam esse, viros Ecclesiasticos possessiones habere. Marsilii Patavini errores damnavit Ioannes XXII., et Wicleffi error, cum aliis plurimis, primum a Parisiensi, et Pragensi Universitate, et postea solemniter damnatus est in Concilio Constantiensi Sess: 8. an. 1415. Vid. Natalem Alexandr. *hist. Eccles. Saecul. XIV. cap.* 3. *art.* 13. *et* 22.

(2) Can. 5. X. Q. 1. Can. 23. XII. Q. 1. Vid. Bened. XIV. de Syn. D. l. c.

de cæteris pauca pro elementorum, ac temporis angustia delibabimus.

Ad exemplum Mosaycæ legis, qua Levitarum Tribui decernebatur pars decima omnium fructuum a cæteris Tribubus persolvenda, cum primum Christianorum pietas deferbuit, tenuioresque nimium evasere oblationes, statutæ sunt Decimæ (3).

Decima igitur est quota pars fructuum ex rebus omnibus, et quacumque honesta negotiatione detrahenda, ac sacrorum ministris attributa, quam tamen pacta et consuetudines moderantur. Sunt autem Decimæ vel *prædiales*, vel *personales*, vel *mistæ*, quarum illæ ex fructibus prædiorum tam naturalibus, quam civilibus, *personales* vero ex honestæ artis, professionis, aut venationis, aut piscationis, aut cuiuslibet laboris lucro detrahuntur; *mistæ* demum, quæ ex gregibus et armentis per industriam percipiuntur. Hoc autem præcipue differunt personales, et mistæ a prædialibus; quod hæ

(3) In lege naturae Decimas solere aliquandò persolvi, ex nonnullis Sacrae Scripturae locis apparet. Abraham decimas solvit Sacerdoti Melchisedech postquam victoria in quinque Reges potitus fuit; et Iacob vovit Deo decimas profecturus in Mesopotamiam, (Genes. c. 18). Cum vero Deus per Moisen Haebreis legem tradidit, jussit decimam fruetuum partem sibi solvi, ut legitur *c. 27 Levitici*. In nova lege Evangelica Christus pronuutiavit: *dignus est operarius mercede sua* (*Matth.* 10). Recta autem naturalis ratio sane jubet sustentationem debitam esse ministris Altaris, qui spiritualia suppeditant; ideoque de Altari vivere debent qui Altari deserviunt; quoad vero decimam partem fructuum, non est naturalis juris, sed determinatum est ab Ecclesia.

debentur sine impensarum, aut tributorum deductione, et debentur Parochis, quorum intra fines prædia sunt sita: aliæ vero solvuntur Parochiis, in quibus Sacramenta percipiuntur, et solvendæ sunt deductis expensis ; id enim intelligitur in negotiatione lucrum, quod superest sumptibus deductis.

Ad solutionem prædialium decimarum ipsi infideles tenentur, qui prædia possident; propterea quod onus decimarum *reale* est: adeo ut ex prædiis locatis decimas conductor, qui fructus colligit, solvere cogatur, cum decima sit pars fructuum, non prædii (4).

Neque ab obligatione præstandarum decimarum quis eximitur, nisi primo ex privilegio Summi Pontificis. Secundo præscriptione immemorabili, si sit sine titulo; cum titulo vero præscriptione quadraginta annorum. Tertio conventione, sive pactis. Quarto voluntaria remissione, ad tempus tamen, non in perpetuum sine venia Pontificis.

Ex prædiis vero recens ad culturam redactis, quæ appellantur *novalia*, decimæ debentur parochiali Ecclesiæ, cuius in finibus novalia exurgunt; vel si exurgant intra diversarum Parochiarum limites, divisio agrorum fit pro modo cuiusque limitum. Si vero ex limitibus res definiri non possit, standum est Episcopi sententiæ, utri velit plus, aut minus attribuere.

(4) Cap. *Dilecti*, Cap. *A Nobis* h. T.

Porro si concedatur alicui clerico, vel monasterio, laicis enim nefas (5) est, perceptiò decimarum, concessæ non censentur decimæ novalium: quia hæ novam habent causam: nec si alicubi decimas quis præscripserit, præscripsisse censetur novalium decimas, quia hæc novalia prædia postea prodierunt. Decimas vero non solvens est excommunicandus, et ecclesiastica sepultura privandus (6).

Quid *Oblationes* (7), quidve *Primitiæ* (8) sint, nomina ipsa satis indicant. Profecto nefas est pro sa-

(5) Si nonnullis in locis, et etiam in Italia Laicis aliquando concessae fuere decimae, hoc factum est titulo feudi, vel emphyteutico. Nam Episcopi antiquitus eis concessere, ut ipsi, et eorum Episcopatus ab haereticis, et Schismaticis oppressi, per eosdem Vassallos Laicos defenderentur. Sed cum tales concessiones, et feuda nimiam Ecclesiis parerent paupertatem, prohibitae fuerunt in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. an. 1179. Unde communis illa, et ubique hodie recepta Canonistarum regula profluxit, nempe illas tantummodo decimas a Laicis in feudum retineri posse quas ante Concilium Lateranense III. consecuti fuerint. Licet igitur jus decimas percipiendi Laicis absolute non ait, possunt tamen a Laicis possideri, vel iusto titulo, vel immemorabili praescriptione.

(6) Cap. *Omnis decimae Caus.* 16. *qu.* 7. *Concil Trid Cap.* 12 *de reform. Sess.* 25. Decimae in Etruria solvuntur juxta ea, quae ibi sunt specialiter statuta.

(7) Oblationum usus primis Ecclesiae saeculis frequentissimus erat, et praecipue in Sancto Missae sacrificio. Ad altare enim tempore oblationis omnes qui SS. Eucharistiae erant participes, si poterant, et etiam Monachi, panem et vinum offerebant, et aliquando oleum et incensum; et novae spicae, et uvae offerri etiam solebant. Imo secundo Ecclesiae saeculo, ut testis est Tertullianus, erat in Ecclesia genus quoddam arcae, in qua fideles pro arbitrio, et voluntate modicam stipem ponebant. Hinc institutum fuit *Gazophilacium*, hoc est locus in Exedris Ecclesiae, in quem huius generis oblationes deferebantur, et asservabantur. Oblationes etiam in exequiis mortuorum, in dedicationibus Ecclesiarum, alisque sacris officiis Christiani pro sua pietate elargiebantur. Hinc quarto saeculo solemnis erat mos in baptismo aliquid offerendi, ut colligitur ex *Orat.* 40. *D. Gregorii Nazianzeni de baptismo*.

(8) Primitias etiam Ethnicis, eorum Diis dicare solemne fuit juxta illud Ovidii *Lib.* 2. *Fast.*

earum rerum administratione quidquam exigere; si quid tamen ultro offeratur occasione matrimonii, baptismatis, purificationis post partum, alisque huiusmodi in casibus, id sacris ministris licet recipere.

Quoad funera vero advertendum, quod si quis extra suam Paroeciam sibi exequias fieri velit, ne Parochus proprio fraudetur iure, statutum est ut certa pars eorum, quæ alienæ Ecclesiæ funeris, aut sepulturæ gratia donantur, proprio Parocho cedat, eaque ad exemplum *Falcidiæ*, vel *Trebellianicæ* dicta est *Quarta funeraria*, etsi pro varia locorum consuetudine maior, minorve sit (9).

Si communes Cathedralis Ecclesiæ reditus, qui ad Episcopi alendam vitam, absolvendaque onera destinati sunt, haud sufficiant, quamdam is in Dioecesi contributionem potest iure Decretalium exigere, mitissime tamen, adeo ut inditum ei sit *charitativi subsidii* nomen. Est etiam *Portio Canonica* Episcopis attributa, id est tertia, vel quarta decimarum omnium, et eorum, quæ singulis Dioeceseos sacris ædibus relinquuntur. *Census* quoque an-

Farra tamen Veteres jacebant, farra metebant
Primitias Cereri farra referta dabant.

Apud Haebreos ter in anno primitias offerre Deo moris fuit. Primo in Paschate de novis spicis; secundo in Pentecoste de novis panibus; ac demum mense Septembris in festo Tabernaculorum de novis fructibus. Sic etiam primitias in lege Evangelica esse offerendas aliqui sanxere Canones. Can. *Doctos* 21. *et Can. Moderamine Caus.* 16. *qu.* 1.

(9) Clement. 2. §. *huiusmodi*, et Extrav. Comm. 2. *de sepulturis*, Trid. *ses.* 25. *C.* 13. *De Ref.*

nuus, cuilibet Ecclesiæ, vel Monasterio impositus, eidem olim solvebatur, nec non *Synodaticum*, aut *Cathedraticum*, quae tributorum species vel in synodo a clericis, vel in honorem Cathedræ Episcopalis solvi solebant, et alicubi solent adhuc(10).

Ac ut antiqua, et plerumque obsoleta hujusmodi prætereamus, de quibus est in decretalibus Titulus de *Censibus*, *exactionibus*, et *procurationibus*, Antistites omnes, dum Ecclesias suæ jurisdictioni subiectas visitant, ius adhuc habent exigendi *procurationem*, quæ a Tridentinis Patribus ad victualia illis, eorumque asseclis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate suppeditanda redacta est: nisi Parochi, aliive ministri procurationis loco certam pecuniæ quantitatem solvere malint, aut alia vigeat sane laudabilis gratis peragendæ visitationis consuetudo (11).

Quemadmodum autem Episcopo in sua dioecesi nonnullæ iure communi exactiones permittuntur, ut ipsius dioeceseos necessitatibus, et oneribus consulat; ita si de universalis Ecclesiœ necessitate, vel utilitate agatur, ius quasdam exigendi contributiones ex ecclesiaticis per orbem diffusis bonis esse supremis Ecclesiæ moderatoribus, populi christiani antiquissimus usus, et ratio demonstrat.

Atque inde *Annatæ*, ac *mediæ Annatæ*, hinc

(10) Vid. de Syn. Dioeces. Bened. XIV. Lib. V. C. 7, quem in Tit. de Episc. laudavimus.
(11) Trid. *ses.* 24. *C.* 3. *de Ref.*

Quindennia, et alia emolumenta, quæ Rom. Pontifici, aliisquæ R. Curiæ ministris exsolvuntur (12) et illæ quidem ante expeditionem Bullarum in collatione Beneficiorum: hæc vero, nempe Quindennia, a Pontificiis *Collectoribus* pro Beneficiis in perpetuum unitis, quorum collatio ad Sedem Apostolicam pertinere potuisset, alicubi decimoquinto quoque anno colliguntur una cum spoliis, de quibus inferius (13).

TITULUS XXVI.

De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non. Tit. 13. Lib. 3.

Non solum ecclesiasticis, sed et civilibus legibus rerum ecclesiasticarum alienatio prohibetur, nisi

(12) Annatas ut vocant, simoniae labe conspersas esse nonnulli arbitrantur, sed procul dubio falluntur. Nam, ut ratiocinatur Cabassutius *Notit. Concil. in appendic. ad Concil. Basileens. de annat.* tria in quovis beneficio spectanda sunt: quod etiam animadvertit Fagnanus in Cap *Praeterea, Ne Praelati vices suas etc.* nempe 1. *beneficium*, 2. *beneficii collatio*: 3. *beneficii fructus.* Si propter beneficium, vel beneficii collationem annatae onus imponeretur, manifesta esset simonia ex *Can. Si quis Episcopus* 3. *Caus.* 1. *qu.* 3. At annata solis fructibus imponitur. In ipsis vero sub diversa ratione esse potest simonia, vel etiam non esse. Si fructus spectentur quatenus connexionem habent cum beneficio, non possunt absque simoniae vitio distrahi praetio, et uno vendito alterum non relinquitur invenditum, ut docet *C. Siquis obiecerit*, *et C. Salvator Caus.* 1. *qu.* 3. At ista connexio non est in annatis, cum in iis sit tantum quaedam deductio ex fructibus beneficii, qui Pontifici acquiruntur in illa provisionis *circumstantia*. Atque proinde beneficii collatio non habet hic rationem *causae*, sed tantum circumstantiae; cum neque beneficii, neque collationis pretium sit annata, sed quaedam fructuum deductio, et reservatio Pontifici pro Ecclesiae necessitatibus. Vid. *Fagnan. in dict. Cap.* ubi plura.

(13) Annatarum solutio in Etruria quasdam habet limitationes, quas docebit usus.

urgeat necessitas (1). Latissime autem accipitur alienationis vox, ut etiam ad hypothecam, et locationem ultra triennium utile, nempe ad longum tempus protrahatur.

Permissa tamen est alienatio rerum, quæ retentæ corrumperentur, aut proventu carerent, quales sunt terrulæ, vineolæ (2), aliæque res immobiles exigui pretii; quibus exceptis, si quid alienetur, incurritur poena Extravagantis *Ambitiosæ* de *rebus Ecclesiæ non alienandis*, *inter communes*, cuius mentio fit in iureiurando Episcoporum: irritaturque contractus.

Sustinebitur tamen contractus si processerit ex urgenti necessitate, puta æris alieni dissolvendi, vel si pietas suadeat ad redimendos captivos, vel alendos pauperes, quorum causa potissimum bona in

(1) Novell. 120. §. 7.

(2) Terrulae, et Vineolae juxta textum in Can. *Terrulas Caus.* 12. *qu.* 2. solius Episcopi consensu alienari possunt, dummodo tria concurrant. Necesse est enim ut res alienatae sint exigui valoris; parum utiles habeantur Ecclesiae: et alienandi necessitas adsit, ut ex contextu laudati Canonis colligitur. Exigui autem valoris idem canon terrulas illas vocat, quae viginti solidorum valorem non excedunt. At Fagnanus in Cap. *Nulli hoc tit.* testatur, secundum declarationes Congregationis Concilii hoc relinquendum fore Episcopi arbitrio, qui attenta qualitate temporum, locorum, et rerum hoc debeat definire. Non absre autem erit hic adnotare, ut firmat Gonzalez in *Cap. Irrita* de quo infra, primam mentionem alienationis prohibitae rerum Ecclesiasticarum, saltem stricte sumptae, habitam fuisse in Concilio Valentino, celebrato Valentiae sub Damaso Papa, anno 374, teste Baronio eodem anno, qui praefati Concilii canon refertur in dicto Cap. *Irrita, de his quae fiunt a Praelat. etc.* his verbis: *Irrita erit donatio Episcoporum, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticae absque collaudatione, et subscriptione Clericorum.*

Ecclesia conservantur, vel utilitas manifesta Ecclesiæ ipsius id flagitet.

Accedere autem debent ad permissam hanc alienationem solemnitates, nempe consensus Cleri, atque subscriptio, nec non Præsulis auctoritas, præsertim vero, quod instar omnium est, Rom. Pontificis, ut dicitur, *Beneplacitum*.

Præscriptio tamen prævalet contra Ecclesiam quadragenaria, contra Ecclesiam vero Romanam centenaria (3).

TITULUS XXVII.

De Peculio Clericorum Tit. 25, L. 3.

Quid peculium sit, unde ita dictum, et quotuplex, perspectum iam ex Civilis Iuris elementis esse debet Sacrorum Canonum studiosis adolescentibus (1). Hinc facile intelligent ad Castrense peculium redigi bona Clericorum, quæ in Ecclesiæ ministerio comparaverint, cum hæc sacra militia merito a Paulo Apostolo appelletur.

(3) Cap *Illud*, et Cap. *Ad audientiam* de Praescription.

(1) Quidquid alicuius labore, et industria partum est, peculii nomine vocatur. Apud veteres nomen generale fuit ad designandum quodcumque patrimonium; sed postea loquendi consuetudine factum est, ut peculii nomine comprehenderetur id, quod servus dum adhuc in potestate domini esset, industria sua vel labore lucri fecisset; nec peculium tantum servorum, sed etiam ita dictum fuit quod filius familias sibi, parentis permissu servabat. A peculio igitur servorum, et filiorumfamilias, quod separatum est a rationibus dominicis, et paternis, sumpta similitudine, bona Clericorum ab Ecclesiarum bonis separata *peculii*, seu *pusillae pecuniae* nomine donata sunt.

Clericus enim si patrimonialia bona possidet, eorum profecto est, ut civis quilibet, moderator, et arbiter: beneficialium vero prædiorum dominium penes Ecclesiam esse supra innuimus: uti etiam mobilium perpetuis Ecclesiæ, vel Rectorum usibus addictarum rerum, quarum proinde conficitur inventarium. Quæ unde profluant nemo non videt, qui dominii, usus, depositi etiam dixerim doctrinam noverit. Inter omnes convenit præter ea, quæ ad victum, cultumque sunt necessaria, caeteros beneficiorum fructus in pios usus esse a Clericis conferendos, ita ut nequeant consanguineos ditare, sed iis tantum ut pauperibus ipsa peculii bona, si revera sint pauperes, possint distribuere (2).

Verum etsi viventes Clerici, ea quæ ecclesiastici

(2) Bona Clericorum triplicia sunt. Alia dicuntur *patrimonialia* quae Clericis obveniunt ex prophana causa, veluti haereditate, legato, et similibus. Alia vero appellantur *industrialia*, quae Clericis obveniunt ex industria in spiritualibus actionibus adhibita, ut ex Missis, concionibus, et huiusmodi rebus. Ad industrialia bona, quae dicuntur etiam *quasi patrimonialia*, reducuntur quoque *parsimonialia*, quae Clericus parcius vivendo subtrahit sibi de congrua sustentatione. Denique bona *beneficialia* ea sunt, quae habent Clerici intuitu beneficii, ut fructus annui qui dantur propter residentiam, quorum aliqua sunt *necessaria* vel *sufficientia*, quae Clericis praestant honestam sustentationem, pro cuiusque statu, et conditione; alia vero sunt *superflua* congruae sustentationi Clericorum. Bonorum patrimonialium Clericos absolutos dominos esse certum est. Idem dic de bonis industrialibus, vel parsimonialibus. Bonorum vero beneficialium, quae necessaria sunt, et honestate sustentationi conveniunt, absoluti domini habentur Clerici. Sed superfluos reditus beneficiales, ex communi Theologorum sententia, in pias causas expendere tenentur, et ad hoc obligari ex *justitia* probabilius est: dominium enim, quod huiusmodi bonorum habent Clerici, non est liberum, sed gravatum onere elargiendi pauperibus, quod honestae sustentationi superest. Vid. *Cl. Remig. Maschat instit. canon.*, *ab Ubald. Giraldi illustrat. hoc. tit.*, qui hanc quaestionem diligenter pertractat.

peculii sunt valide donent; morientes tamen testamento relinquere vetabantur veteri Canonum iure: si casus excipias, quos habes in *Cap. Relatum* 12. *De Testam.* In cæteris *ius spolii* obtinebat non secus ac si Clericus intestatus decessisset. *Spolium* dicitur quidquid a Monacho, vel Clerico ex Ecclesiæ bonis relictum a Superiore Monasterii, vel Ecclesiæ nomine capitur: idque inter Regulares viget adhuc; sed inter Clericos non ubique. Superior habebatur Camera Apostolica, quæ proinde adhibebat Collectores, et Subcollectores ad spolia vel ipsa colligenda, vel ad exigendam pecuniæ, de qua convenerat, summam, quæ *Spolii* nomine eidem Cameræ pendebatur.

Verum præsens Ecclesiæ disciplina, atque consuetudo remissior est in clericorum bonis inquirendis; iisque permittit de perceptis per sacrum ministerium fructibus testari: immo etiam legitimis Clerici hæredibus, agnatis scilicet proximioribus, in ea bona ab intestato successio devolvitur. Hinc non nomine tantum, sed reipsa clericorum peculium ad *Castrense* reducitur: atque hæredes *meliorationum* a clerico in beneficiis factarum possunt æstimationem reposcere, si constet factas fuisse patrimoniali pecunia (3).

(3) De peculio plenissime egit in suis praelectionibus Collega Clarissimus Laurentius Quartieri, nunc LEOPOLDI AUSTRIACI Etruriae Principis Haereditarii Praeceptoris; de *Meliorationibus* autem extat eiusdem Auctoris opus egregium, quod sane est adeudum.

Finis Libri II. et Tomi I.